
IANI NICII ERYTHRÆI
EXEMPLA VIRTVTVM et VITIORVM.

Editio Secunda.



COLONIÆ VBIORVM,
Apud Iodocum Kalcovium.
et Socios. cIↄ Iↄc XLV.





LECTORI
TYPOGRAPHVS.


Cribunt hodie plurimi. Præſtaret, ſcribi à plæriſque nihil. De iis loquor, qui non ædificant quidquam, ſæpius diruunt. Scriptores amamus bonos, eruditos. Hi promovent generis humani ſalutem, privatam & publicam. Hi merentur eſſe incolæ mundi, domicilii iſtius auguſtiſſimi, cujus tectum tot aſtris radiat, beneficio Dei in mortales maximo. Horum nos monumenta luce donamus lubentiſſimi. Neque enim tam lucello inhiare noſtrum eſt,

quam eundem cum ipsis finem nobis habere propositum. In his vero cum primis eminet hodie Ianus Nicius Erythræus. Hic vir nobis demum satisfacit. Hic, sive poëtam agat, sive solutum fundat sermonem, & prodest & delectat omnibus ubique modis. Quid mirum? Præstantissimas res adeo pura & nitida dictione vestit, ut Plautus, Terentius, Tullius, Varro, non possent cultius. Videtur vetus ille Romanæ linguæ decor & genius in Romanum hunc nostrum totus migrasse, & quasi regnum ibi fixisse. Cæterum laude nostra longe ipse superior. Quare comparare solemus nobis ejus lucubrationes, quandocunque possumus. Adeoque illarum quasdam jam ante

dedi-

dedimus legendas publice. Nunc prosequimur, quod bene cœpimus. Argumentum hujus libri est: *Declina à malo; & fac bonum.* Quid potest esse excellentius, quàm dare sic operam, ut homines detestentur vitia, & virtutes ament, illas maxime, quibus æterna in præmium parata felicitas! Non est quod emtores mendicem ego. Accurrent sponte, scio; rapti, ut à magnete ferrum rapitur. Dicamne vero novi quid, Lector, quod auditu futurum tibi gratissimum? Sunt mihi ad manum scripta Niciana plura, melle ipso dulciora. Et his te beabo, cum tempore. Salvus tu interim sis, mi Lector. Idibus Decembris CIϽ IϽ CXLIII.

EIDEM.

NOn me fefellit ſpes mea. Vix lucem aſpexerunt Exempla hæc: & mox divendita ſunt. Adeo, ut ne quidem ad auctorem, aut in Italiæ partem ullam, ubi deſiderabantur omnium maxime, quidquam eorum vehendum reliquum fecerint emtores, qui aberant propius. Qua de re queritur non ſemel ipſe Nicius in Epiſtolis; quas, juxta cum Eudemia, nunc auctiore, ac Dialogis, ab eodem conſcriptis, recens evulgavimus. Quid reſtabat igitur, niſi ut prodirent Exempla ea denuo? Iterum ſalve. Kal. Decembris CIↃ IↃ CXLIV.

Illu-

Illustrissimo ac Reverendissimo


DOMINO

FABIO CHISIO,

Episcopo Neritonensi, & Sedis Apostolicæ apud Vbios Nuncio,

IANVS NICIVS ERYTHRÆVS

S. P. D.



Vod majorem, Fabi, Præsul optime, vim, ad revocandos à vitiis homines, & ad virtutem traducendos, habeant exempla, quam docta diserti cujuspiam vox & oratio, Diogenis pallium ac dolium ostendunt; quæ duo, ut veteres tradiderunt, acrius vehementiusque divitum luxuriem verberabant, quam aliorum, omnibus instructa ornamentis eloquentiæ, disciplina. sed quid ad vetera & externa revolvimur? ecquis non ma-

gis se commoveri, & ab inanibus rerum humanarum cupiditatibus revocari ad solida virtutis studia sentiat pœnis, quas à Deo in improbos edi, ac præmiis, quæ persolvi proborum recte factis animadvertit, quam sapientissimis sententiis, gravissimisque verbis, ornato sermone & perpolito? neque obscura neque recondita ejus rei ratio est, sed aperta atque perspicua, quod argumenta, quibus vitiorum turpitudo, pœna suppliciogue constringi, ac virtutis pulcritudo mercede ac præmio decorari probatur, ad sensus aurium admoventur, at quæ Deus, sive bona sive mala, probis vel improbis reddit, in cernendi sensum cadunt; qui sensus, cum sit longe ceterorum acerrimus, necesse est, ut majorem animorum permotionem afferant ea quæ cernuntur, quam quæ leguntur vel audiuntur. Magna illa ac prope innumerabilis

rabilis multitudo hominum, quæ Parisiis ad celebris illius Doctoris exequias accurrit, qui, falsa virtutis opinione ac specie, omnium ad se oculos animosque attraxerat, sæpe, sine dubio, suis auribus inculcari senserat; peccatis hominum atque sceleribus pœnam damnationis æternæ deberi; eandemque rem etiam in concionibus agitari sæpenumero audierat: at quotus eorum quisque ex illis sermonibus concionibusque induxerat animum, ad frugem redire, ac novæ vitæ consilia suscipere? neminem arbitror; at ubi ille mortuus, ter in vitam revocatus, se demum justa Dei judicis sententia damnatum esse, omnibus audientibus dixit, ab eo aspectu vehementer commoti sunt omnium animi, adeo ut multi perpetuam sibi legem indixerint innocentiæ, continentiæ, virtutumque omnium; aliquot etiam pro-

 gressi

gressi eatenus sunt, ut, duce Brunone, re familiari contemta, amicis, cognatis, affinibusque relictis, opibus & honoribus valere jussis, in loca sola, horrida, deserta, ac perpetuis fere nivibus obsita, ubi ne feræ quidem cujusquam vestigium appareret, sese contulerint, ibique abditi, silentio totum vitæ suæ tempus sibi transigendum esse, statuerint, multosque deinceps, suo exemplo, ad illud tam asperum tamque horridum vitæ genus suscipiendum attraxerint. Etenim exempli ea vis est, ut non modo cum res fit, verum etiam cum narratur vel legitur, perinde quasi sub aspectum veniat. magno cum pondere in animum irruit, eumque ut suæ sibi saluti consulat adigit. atque ipsemet Christus tantam in exemplis esse vim statuit, ut, cum vellet luxuriæ & incontinentiæ vitia ex animis nostris evellere, non

alia

alia usus sit ratione, nisi sumtuosi illius divitis exemplo, cujus profusa, dum vixit, luxuries, omnium apud inferos rerum inopia, coërcetur atque constringitur, adeo ut ne unam quidem aquæ guttam, quam linguæ aspergat, obtineat. Quæ cum ita sint, statui, quæ nostra ac paulo superiore memoria, notatione digna extiterint, & ad formandos hominum mores utilia, breviter huic libro mandare. Quem ideo, tuo inscriptum nomini, ad te mitto, ut, cum populum, tuæ à Deo fidei commissum ac creditum, ad veterem disciplinam, ad optimos sanctissimosque mores, erudies, eidem aliquod ex iis, quæ in hoc libro continentur, aptum ad id de quo sit sermo, si tibi videatur, exponas; ut periculum ex aliis faciat, ipsi quod ex usu sit. Atqui, ne librum hunc contemnas, nihil in eum intuli, nisi quod ipsemet vidi, vel ab iis,

iis, qui ipsi vidissent, accepi. sed non, quod quisque dixisset, continuo illud fide ac memoria dignum duxi, sed habui rerum delectum, ac personarum in primis rationem. etenim iis tantum fidem esse habendam censui, qui auctoritate aliqua, vel morum ac vitæ dignitate, præstarent. neque ab hoc numero mulieres excludendas existimavi, in quibus probitas ac virtus eluceret. cur enim spectatæ probitatis pudicitiæque mulieribus fidem abrogarem, non aliam ob causam, nisi quia mulieres essent, præsertim si nulla esset in eis causa cur mentirentur? genus autem orationis illud sum secutus, quod tibi vehementer probari video, quodque, ad ejusmodi res explicandas, mihi in primis aptum videtur; nimirum liquidum, purum, profluens, atque à cincinnulis fucoque puerili, hoc est à vanitate sententiarum

abhor-

abhorrens. ejusmodi enim deliciæ, vel potius ineptiæ, in ædes tantum, ut ita dicam, aurium influunt, neque in cordis penetralia se inferunt: at contra, oratio gravis, & à puerilibus ornamentis nuda, in sensus commeat, in animum penetrat, eumque, quo causa poscit, impellit. neque eo minus data est opera à me (si tamen assequi potui) ut nulla verborum barbarie infuscata, ad delicatas nostrorum hominum aures, mea perveniret oratio, sed pura ac Latina prodiret. non enim Latini sermonis nitor ac puritas, rerum gravitati contraria est, sed cum ea maxime convenit; quod dilucidiores res faciat, quod eas pene ante oculos statuat, quod in mentibus altius infigat. Sed, his omissis, illud in primis optandum est, ut nostros hos qualescunque labores fructus aliquis consequatur, salus nimirum animarum, neque illi, in desperatas

ratas

ratas ac derelictas animas incidentes, tanquam fruges in segetem deteriorem datæ, prorsus intereant. quod minime eveniet, si in concionibus, quas Episcopus, eo loco ac nomine dignus, ad tuos habeas, mea hæc interdum, ut dixi, si veniat usus, accipias, eaque tuis istis oratoriis lacertis ac viribus torqueas. Vale. Romæ, Kal. Maji. MDCLXIII.



EXEM-

EXEMPLA hæc imprimantur.

Henricus Francken Sierstorpffius, SS. Theol. Doctor; Metropolitanæ & S. Cæciliæ Ecclesiarum Colon. Presbyter, Canonicus; Gymnasii Laurent. Regens; librorum Censor.

IN LIBELLVM EXEMPLORVM NICII.


Exemplum quidvis ibi: nil ibi regula. Quidni?
Fulminat exemplum: regula cassa strepit.

GREGORIVS AYALA.

Dicti refutatio.

Exemplum quidvis ibi? nil ibi regula? Quid vis?
Exemplum non est regula viva tibi?

CHRISTIANVS ALEMANNVS.



IANVS NICIVS
ERYTHRÆVS.

IANI NICII ERYTHRÆI

EXEMPLA.

I. *Sacerdotes sanctos esse, neque contumeliis ac verberibus afficiendos.*



Vlier quædam cum primis suæ civitatis nobilis, ruri cum esset, Parocho Missæ sacrificium facturo misit, qui diceret, ut maneret tantisper, dum ipsa ad ecclesiam accederet: verum, ut mos est mulierum, quibus se poliendi ornandique nullus modus est, cum diu in expectatione fuisset, neque usquiam appareret, &, quod caput est, cum jam meridies appeteret; coactus est ille sacerdos à popularibus suis, qui defessi erant expectando, rem divinam facere: cujus rei mulier ignara, cum ad ecclesiam pergeret, admonita est in itinere à redeuntibus, ut labore illo supersederet; etenim omnes, sacro peracto, domum reverti: sed cum nihilo ea minus ire contenderet, venit ad Ecclesiam, & Parochum contumaci sane vultu aspiciens, ita ne, inquit, sine me sacrum fecisti, neque meum adventum expectasti? eademque opera, elata in altum manu, colaphum eidem impegit. nec mora; tanto scelere contaminata, domum revenit. Sed haud impune tantum facinus abstulit. nam cum esset gravida, temporibus exactis, enixa est filiam, altera manu captam; quæ deinde, jam nubilis, data est viro cuidam nobili in matrimonium; & quoad vixit (vixit autem diu) insigne illud prætulit maternæ superbiæ, audaciæque monumentum. Hæc circiter annum MDLXX contigisse, narravit Petrus Antonius Montagnanus, patricius Vicentinus, & P. Nicolaus Vicecomes Mediolanensis, summæ apud suos nobilitatis, qui Paulo V, Pont. Max. intimus cubicularius, ex honorariorum, ut vocant, numero fuit, deinde aula, unà cum ejus honoribus

 vale-

valere justis, nunquam satis laudatæ Congregationi Oratorii nomen dedit.

II. *Eleemosynarum usum non dimittendum.*

ANtistes quidam, beneficentiæ ac liberalitatis fama longe clarissimus, non multis ante annis, opibus, honoribus, divitiisque præstabat; qui quidem sumtuosus, indiligens, ac profusus habebatur, attamen erat in pauperes Christi mire propensus: nam singulis annis multa aureorum millia inter eos dividenda curabat. Verum cum extraordinariis illis sumtibus, æs alienum grande conflasset, familiares quidam & amici, fuere illi auctores, ut profusam illam, quemadmodum ipsi ajebant, liberalitatem in pauperes revocaret, ex eaque æs alienum, quod contraxerat, omne dissolveret: quibus ille fidem habens, annuas eleemosynas ad dimidias contraxit. neque ejus auctores consilii in eo reprehenduntur, quod dederint operam, ut creditoribus fieret satis, sed quod ex eleemosynis præsertim, id quidem ab illis pessime atque immisericorditer factum asserimus. nam si erat illis cordi, ut acceptas fœnori pecunias vir ille dissolveret, immanes illi sumptus compescendi erant potius; quibus equos, canes, ac tantam familiam alebat, quibusque ridiculos homines, ac musicos, quos in deliciis habebat, locupletabat. Rem miram; qui firmissima erat corporis valetudine, statim infirma esse cœpit, ac longius procedens, eam firmitatem, qua præstabat, prorsus amisit, ac demum è vita decessit; eorum autem, qui id illi consilium dederant, vix quisquam ultra triennium vitam protraxit.

Sed non erit alienum ab hoc loco, subjicere, quos ego vilis homuncio fructus ex eleemosynis tulerim; quod quidem ad Dei gloriam ac legentium utilitatem, non ad meam laudem dictum velim. Eram multis ab hinc annis, tum matris indiligentia, cui parens meus moriens reliquerat usum fructum omnium bonorum suorum, ut frueretur una cum filiis, eaque præterea suum ad arbitrium administraret, tum infinitis fratris mei

mei ſumtibus, in ſummas rei familiaris anguſtias adductus. nam, matre mortua, pignori oppoſita fere omnia inveneram, ac vix tantum relictum, unde parce ac duriter vitam exigerem. non ſum propterea deterritus, quin pauperum inopiam, pro viribus, ſublevarem. verum, me vix ſentiente, fiebat, ut, ære alieno diſſoluto, paulatim res meæ ad me redirent, & quod mirabilius videatur; neque ſordido quodam victu, neque inſigni parſimonia id aſſequebar. Etenim nihil mihi deeſſe patiebar, ſed quidquid uſus vitæ poſceret, mihi largiebar, nulla in re genium defraudans meum: quod ſummum Dei in me beneficium agnoſcens, ejuſque beneficii cauſam referens in pauperum preces, quorum tenuitatem ſublevabam, dabam operam ne ingratus invenirer, ſed, peræqua proportione, tantundem ad veteres eleemoſynas accederet, quantum facultatibus addebatur. in pauca ut conferam; non modo rem pene amiſſam recuperavi, verum aliquot etiam partibus ampliorem eam eſſe factam inveni; ac re ipſa didici, quod auditione perceperam, neminem unquam, ex largitione in pauperes, ad egeſtatem fuiſſe redactum, atque omni ex parte veriſſimum eſſe, quod in proverbiis legitur, eum, qui dat pauperi, non indigere, ſed fœneratum à Deo, quod largitur, accipere. Venit mihi in mentem, hoc loco, Coſmi Medicei, omnium ætatis ſuæ multo locupletiſſimi: de hoc proditum memoriæ eſt, ea fuiſſe in pauperes liberalitate, ut amici ipſius quidam, ob hanc cauſam, naufragium omnium bonorum illi metuerent, ac ſuaderent, ut aliquem eleemoſynis modum ſtatueret; quibus reſpondebat, nunquam tantam ſe Deo pecuniam elargiri, quin in ſuis accepti & expenſi tabulis, majoris eum ſummæ creditorem inveniret. Verum ejus hæc in pauperes liberalitas, adeo fortunas illi ſuas non conturbavit, ut etiam ſtabiliverit, atque auxerit; ita ut nemo privatus, eo locupletior deceſſerit, neque, ea tempeſtate, mortalium fere quiſquam extiterit, qui non aliquo eidem ære obſtrictus inveniretur.

III. *Mortuos suffragiis juvandos.*

PIo. Franciscus Carettonius Soc. Iesu, cum ad sodales B. M. Virginis Assumptæ, in domo professa Soc. Iesu, circiter annum MDCXX, verba faceret de cura pro mortuis gerenda, me audiente atque admirante, narravit, etiam tum vivere, qui ab ineunte ætate multis se flagitiis coinquinaverat, verum incredibili quodam studio animas defunctorum juvandi semper exarserat, ut etiam sæpissime piaculare aliquod sacrum pro eis faciendum curaret. Erant huic inimicitiæ graves & acerbæ, cum popularibus quibusdam suis; à quibus, vitæ capitique ipsius insidiæ perpetuò comparabantur. cum igitur nocte quadam, vitandi æstus causa, equo vectus, Tibur, si rectè memini, deferretur, illac iter fecit, ubi ad ingentem quercum, insignis cujusdam latronis scissi membra suspensa pendebant, quæ membra (horrendum dictu) visa sunt inter se conjungi, atque in unum corpus coalescere; quod cum se demisisset in terram, equum illi detractum conscendit, imperavitque, ut tantisper ibi consisteret, quo ad rediret; cui ille, qui totus præ timore obriguerat, neque hiscere audebat, dicto audiens fuit. Sed vix cadaver illud, equo vectum, sexaginta ab eo loco progressum est passibus, cum ab hominibus quatuor invaditur, &, sclopis in ipsum emissis, de equo deturbatur ac dejicitur; sed paulo post, inimicis ab oculis fuga sublatis, ad eum, qui hæc spectaverat, rediit, atque, Hæc tibi, inquit, insidiæ comparabantur, nisi me, Dei jussu, in eas conjecissem; idque eximiæ tuæ in mortuos pietati tributum ab eo est; contine igitur te in hoc perenni studio, & simul mores emenda, eosque ad divinæ legis rationem præscriptumque compone. his dictis, cadaver illud quatuor in partes distractum ac suspensum in quercu illa visum est, ut antea, pendere. qui vero tam manifesto mortis periculo, divinitus, illo miraculo ereptus fuerat, non solum pietatem & solicitudinem suam efficacius, quam anteà, defunctorum animis præstitit, sed extemplò omnibus aliis re-

bus

bus post habitis, arctiorem religiosorum hominum amplexus est vitam.

IV. *Avaritiam seu pecuniæ studium procul à magistratibus esse debere.*

PRæfectus oppidi cujusdam in Lusitania, octavo quoque die, peccata confiteri, & Eucharistiam sumere solitus erat, summamque in vultu religionem præ se ferebat: verum iis, quibus præerat, avare admodum & crudeliter imperabat, & magnas ab invitis pecunias extorquebat; ut neque Deum vereri, nec rapacitate quidquam à lupo distare videretur. Sed dum maxime in istud, quo jure, quaque injuria, faciendæ pecuniæ studium incumbit, die quodam, ignotus quidam fit illi obvius in via, ac litteras reddit, qui statim evolavit ex oculis, nec visus est uspiam. Præfectus, litteris acceptis resignatisque, statim, Hei mihi, magna horribilique voce exclamat, & amissis viribus, domum inter manus delatus, in lecto collocatur; verum in eo cubiculo, ubi decumbebat, septem ac viginti dæmonum spectra, horribili sane forma, sese obtulerunt; quorum viginti, statim intro in hominem irruperunt, totumque immaniter possederunt, reliqui vero septem in eodem se cubiculo continuerunt. hoc aspectu perterrefactis omnibus, continuo sacerdotes evocantur, qui precibus immundos illos ab eo spiritus exigant; veniunt, atque adjurare energumenum ex ecclesiæ ritu incipiunt, conanturque dæmones corporis illius possessionē dejicere: quibus illi; Operam, inquiunt, luditis; Dei jussu ac voluntate, in hominem immigravimus, neque nos hinc cujusquam jus ac potestas ejiciet; citius illi pellentur, qui cubiculum servant, quam nos nequam hunc hominem liberum dimittamus. quorum oratione commoti sacerdotes, conversi sunt ad eos pellendos fugandosque, qui cubiculum illud obsidebant, ac peccata singulorum, qui aderant, aperiēbant: quorum sex cum jam abiissent, postremus, qui erat relictus, conversus ad eos, qui immigra-

migraverant in Præfectum, eumque acriter excruciabant, Quandoquidem, inquit, relicti sumus à sociis, quid hic agimus? cur non suis eos vestigiis persequimur? Qui omnes illico, impetu facto, excesserunt, atque una secum infelicem illam animam in æterna apud inferos supplicia detulerunt. Hæc P. Virgilius Cæparius Soc. Iesu, v Kal. Novembr. anni MDCXIV, sodalibus B. M. V. Assumptæ in domo professa Soc. Iesu, pluribus audientibus, dixit, accepta, ut ipse narrabat, à Patre quodam ejusdem Societatis, qui ejus confessiones audierat, necnon ab altero, qui spectaculo illi interfuerat, cuique dæmones occultum quoddam flagitium palam effecerant.

V. *In quovis loco, sed præsertim in Ædibus sacris, abstinendum esse ab inferenda alteri injuria.*

PAucis ante annis, Perusii, Bacchanaliorum ludorum diebus, cum in Æde Soc. Iesu sacrosanctum Christi corpus, regali sumptu ac magnificentia, expositum esset, fiebat ut tota fere civitas eo conflueret: quamobrem accidit, ut in turba vir in primis nobilis ab altero, pari nobilitate prædito, calcaneo percuteretur. quod ille non ferens, barbara quadam animi impotentia elatus, in oculis tantæ frequentiæ, atque adeo in conspectu divinissimæ illius hostiæ, colaphum eidem impegit. Sed statim neglecti ab eo religiosissimi templi, & illatæ homini innocenti injuriæ persolutæ sunt pœnæ. erat ei, qui percussus fuerat, filius adolescens, ex lethali diutinoque morbo, adeo viribus exhaustus, ut vix præ macie consisteret; qui una cum aliis in illud idem templum, religionis causa convenerat. hic satiùs esse ducens, quidvis antea pati, quam tantam contumeliam inultam dimittere, exeuntem illum è templo aggreditur, & in certamen provocat; non recusat ille. itaque utrinque, eductis gladiis, pugna committitur; sed brevi, ita divina exigente justitia, contumax ille, quanquam animo ac viribus longe valentior, ab infirmissi-

missimo adolescente transfixus occiditur. Hæc Romæ ab eo accepi, qui Perusii cum esset, suis ea oculis vidit.

VI. *Dies festos, piis operibus, non ludis jocisque transigendos.*

ANte annos sexaginta, Christi natalis pervigilio, coiere adolescentes aliquot ex iis, qui scholas Soc. Iesu frequentabant, in ædibus amici communis, ut mediam circiter noctem ad Ædem B. Mariæ Majoris ad Præsepe sese conferrent: sed interea dum abeundi hora veniret, decreverunt totum illud tempus hilaritati jocisque committere: verum cum satis jam sermoni traditum ab iis esset, jamque somnus videretur obrepere, ædium dominus talos poscit, & somni abigendi gratia, socios in aleam provocat; sed inter ludendum, unum ex illis sitis ingens invadit, cumque aliquid sibi poscit dari, quo sitim extinguat, dominus domus in cellam vinariam abiit, ut de selecto quodam dolio, vinum hauriret; sed improviso horribilis cujusdam dæmonis aspectu perterritus, pedem retulit; qui ater, immanis, ventriosus, ingenti capite, cui bini inerant oculi, ardentibus prunis similes, dolio innixus, brachium mento suffultum habebat. itaque exanimatus metu, quantum potuit cursu contendere, ad socios se recepit; quos alio non minus horribili monstro perterrefactos offendit. viderant enim pusillum alium dæmonem intra alveolum hac illac excurrentem, & talos calcibus impellentem. quamobrem cum id, quod ipse in cella vinaria vidisset, exponeret, fidem fecit; nec inventus est quisquam, qui crederet, ipsum timore perterritum, quod non vidisset, pro viso sibi renunciasse. ac statim omnes à ludendi cogitatione sunt ad preces supplicationesque conversi; atque ea ipsa nocte, diligenti confessione, præteritæ vitæ sordes eluerunt; & nonnulli etiam illorum, varii religiosorum ordinum familiis nomen dederunt. id ego admodum puer ab homine gravi & fide digno accepi, qui cum illis fuerat studiorum eorundem societate conjunctus.

VII. *Sacerdotes, ac reliquos divino cultui mancipatos, castimoniæ sectatores in primis debere esse.*

NOvi ego aulicum quendam, jam senio confectum, hominem fortunatum ac nobilem, ac pingui sacerdotio præditum; qui cum ob ætatem grandævam, & sacerdotalis ordinis reverentiam, castitatis, sanctimoniæ, virtutumque omnium specimen esse deberet, ut sanctos decet; non secus ac quivis adolescens dissolutus & intemperans, libidine luxuriaque diffluebat. cum igitur, die quodam, mulieri nuptæ, cui ille consueverat, prandium dedisset, eoque confecto, se oblectare cum ea cœpisset, ex improviso horribili apoplexia adeo correptus est, ut statim sensus fere omnes amiserit, neque ita multos post dies mortem obierit, &, quod est morte ipsa longe deterius, nullam peccata ore confitendi facultatem habuerit. at mulier, quò documento esset ceteris, quæ se cum hominibus Deo dicatis admiscent, majore quadam vi à Deo verberata est. nam pridie diei D. Bartholomæo sacri, cum magna vis imbrium de cœlo decidisset, nec cloaca, domui mulieris proxima, lapidibus cœnoque obstructa, decurrentes aquas posset excipere, universas in ejus cellam vinariam humi defossam immisit, ac pene totam opplevit. erat illi cellæ ostium è ligno, tabernæ superimpositæ pavimento annexum; quod clausum pavimenti instar habebat, supra quod mulier ex solito cum vellet ingredi, sive quod illud erat è lignis vetustate corrosis, sive justo Dei judicio, assulatim comminutum est totum, atque illa præceps lapsa in cellam, plenam aquis, ut diximus; quibus antea obruta est, quam aut fidem vicinorum implorare, aut quisquam laboranti venire auxilio posset.

VIII. *Inimicitias non esse persequendas.*

FVere nonnulli in persequendis inimicitiis odio adeo implacabili & acerbo, ut ipsorum crudelitas, ne

suorum

suorum quidem inimicorum sanguine expleri potuerit; sed progressa sit longius; hoc est, in illud tempus, quo desierant esse, quos odissent. Annum circiter MDXCV, juvenis quidam dabat operam sedulò, ut interfector fratris sui in potestatem judicum veniret, quo ejus supplicio oculos pascere, atque exsaturare animum posset. itaque, per lictores, quocunque illum venturum arbitrabatur, ibi antea, capiendi ejusdem gratia, insidias locabat, &, die quadam, ita obseptum eum habuit, ut nulla vis sibi posset eripere. nam in ædium quarundam tectum compulerat, quod antea lictores occupaverant: at ille, cùm omnem fugæ rationem sibi ereptam animadverteret, neque vellet in lictorum potestatem venire, morte ex illorum manibus elabi constituit; atque illico ex tegulis præcipitem se deturbavit in viam; satius esse ducens, mortalem hanc vitam una cum illa beata ac sempiterna amittere, quam in lictorum potestatem veniens, tantum de se inimicis suis gaudium objicere. verum cum miser obtritus jaceret in via, non potuit crudelem inimici sui animum ad misericordiam flectere, vel saltem implacabili illo odio exuere; nam ille majori, quam antea, crudelitate atque odio inflammatus, cerebrum, quo obtriti caput viam asperserat, utraque manu colligens, eo os sibi perfricuit, admirantibus, seu potius stomachantibus iis, qui spectaculo aderant.

Pari crudelitate atque odio, alius quidam, suæ civitatis primus, erga inimicum suum exarsit; quem cum, multis confossum vulneribus, ad terram abjecisset, vetuit Sacerdoti, qui eò accurrerat, quemque maximè expetebat, peccata sua confiteri, neque anteà discessit, quàm animam efflasse animadvertit; ut, cui mortalem hanc & miseram vitam ademerat, æternam etiam atque beatam, quod posset, eriperet.

Ex contrario, non desunt alii, ad condonandas, Christi causa, injurias, adeo prompti atque propensi, ut iis, à quibus graviter offensi sunt, ultro pacem & amicitiam expetitum adveniant. quem in numerum referendus est Fabius Benvoglientes, I. C. Senensis, omnium suæ ætatis, non solum Senis, sed in tota Italia, ejus facul-

tatis facile princeps. hic, quemadmodum mihi narrabat P. Lepidus Piccolomineus Soc. Iesu, ejus auditor atque propinquus, cum audisset, filium, quem diligebat unice, adolescentem lectissimum, fuisse interemptum, non modo nullas cum eo, qui occiderat, inimicitias sibi suscipiendas esse statuit, sed testibus accitis, ultro in publicas tabulas referendum curavit, omnem se acceptæ injuriæ memoriam abjicere, & cum eo, qui ea domum suam clade affecisset, esse velle in amicitia & gratia. hic postea ad extremam senectutem summa cum laude vixit, ac moriens magnam reliquit sui nominis famam.

In eadem probitatis & clementiæ fama versatur vir mihi omnibus officiis conjunctissimus, qui etiam nunc vivit, generis antiquitate, nobilitate, splendore, nemini ex nobilitate Romana inferior; cujus frater olim supplicio affectus fuerat. hic vir longe clarissimus eum, cujus opera præsertim, fratri ea calamitas acciderat, non modo in numero inimicorum non habuit, sed tecto exceptum, quoad vixit, omnibus in rebus liberalissimè habuit. illud vero novum & incredibile, quod cum ille parum molliter se apud eum cubare quereretur, quod culcita sibi lanea paulo durior obtigisset, suam lectulo, ubi cubabat, detraxit, atque illi utendam tradidit. tantam homini in rebus adversis, ut ita dicam, impatibilitatem egregia virtus, & Christi imitandi studium confecit. Hæc ego Curtium Mutum, patricium Romanum, & Canonicum Lateranensem, de illo prædicantem audivi.

Verum ab hac clementiæ laude, ne mulierum quidem imbecillitas abfuit, quarum animus, in retinendis odiis, ob rationis & sexus infirmitatem, solet esse tenacior.

Me adolescente, mater mea, fœmina religiosissima, fere quotidianum cibum præbebat viduæ cuidam pauperculæ, cui sicarius quidam, ex eorum numero, qui noctu libidinis causa tota urbe bacchantur, filium, à quo alebatur, nulla fere de causa, per ludum jocumque occiderat, cuique, ea ipsa nocte, qui simulatione officii ad eam venerant, videlicet ut in illo ejus gravissimo

vissimo casu consolarentur, domum fere inanem & vacuam reliquerant: hæc, inquam, tantam injuriam, quæ ad vitam salutemque pertineret, ita forti, ita æquo animo tulit, ut nihil pene commota sit; neque aliud ex ea verbum audiebatur, nisi illud, Ferendum est, ita visum est Deo. sapiens videlicet mulier intelligebat, quidquid à Deo nobis immittitur, forti atque constanti animo esse subeundum ac perferendum.

Quamquam mihi propositum sit ab initio, mandare huic libro, quæ mea ætate, vel paulo supra eam contigissent, quæque adhuc à nemine, quod sciam, memoriæ prodita sint ac litteris; attamen cogor vetus quiddam exponere, quod olim Bononiæ, in Vico, qui dicitur pius, contigisse narratur. cum enim cædes facta esset, & adolescens quidam notus, interfectus, sceleris illius reus, quem lictores fugientem prosequebantur, abdidit se in ædes matronæ cujusdam, à se penitus ignoratæ; quo cum lictores comprehendendi ejus causa venissent, ac mulier, misericordia videlicet capta, negasset, quemquam à se visum, lictores, quo acrius ejus in illum animum inflammarent, indicarunt, illum, quem tantopere salvum esse cuperet, eum esse, qui filium suum interfecisset: ad quam vocem illa exterrita ac prope exanimis facta est; sed statim acerbissimo omnium dolore suppresso, sublatis in cælum oculis, & simul interfectorem filii sui complexa, Quandoquidem, inquit, non me latet, quantopere, mi Deus, hoc remissionis injuriarum sacrificio delecteris, illud majestati tuæ offero in odorem suavitatis; quamobrem posthac adolescentem istum in signum reconciliatæ gratiæ, in filii loco habebo; ac, testamento, omnium bonorum meorum hæredem instituam. hæc res, tam singularis, tam admirabilis, tam nova in admirationem egregiæ illius virtutis spectantium animos egit; qui, gratiis Deo immortalibus actis, & collaudata mulieris fortitudine, discesserunt, neque ausus est quisquam adolescentem illum attingere. verum, quo nunquam ejus facti memoria oblivione hominum deleretur, vicus ille, cum antea alio nomine vocaretur, appellari cœptus est Pius,

Et quoniam Florentiæ mentio facta est, neque illud, quantumvis vetus, à D. Io. Gualberto editum, egregiæ virtutis facinus prætereundum videtur; qui prope ejus urbis muros, cum in odiosum & invisum sibi inimicum incidisset, ac prope esset, ut impetum in eum faceret, oratus obsecratusque est, per Christi passionem & mortem, ne quid gravius in ipsum admitteret, sed illæsum abire fineret. at Gaulbertus, mentione de Christi passione injecta, constitit, atque, Eamus, inquit, ad Christum ipsum, ejusque sententiam exquiramus; nam quod mihi dederit de hac re consilium, id certum est exequi. erat non procul ab eo loco, ubi hæc gesta narrantur, Christi cruci affixi imago vetus, è ligno; quo cum copulati venissent, petiit Io. Gualbertus à Christo, num, si inimicum suum inviolatum dimisisset, id sibi foret acceptum. rem miram; ea Christi Salvatoris imago, caput, quod antea cruci hærebat, abduxit, & in signum, quod illud approbaret confirmaretque, demisit; atque etiam nunc in cœnobio S. Miniati, ubi religiosissime asservatur, capite ita demisso conspicitur. quamobrem Gualbertus, cognita Christi voluntate, rediit cum inimico in gratiam, cum eoque conjunctissime vixit.

IX. *Diebus festis cultum & honorem adhibendum.*

NArravit mihi Angelus Lomellinus, patricius Iannuensis, quod anno MDXCVI, Epidaurius quidam myoparo Iannuensem in portum se receperat, atque aliquot in eo dies fuerat; qui quidem Epidauri cujusdam auctoritate & imperio administrabatur, sed magna ex parte ad Nicolaum Lomellinum spectabat, ad quem Epidaurius ille die quodam accessit, aitque, sibi deliberatum esse, VIII Kal. Ian. myoparonem è portu solvere, quò Episcopum, nescio quem, Carthaginem novam adveheret; qui dies natalis erat Christi domini. cui Lomellinus, nullo modo sibi probari respondit, ut diem illum, toto orbe Christiano celeberrimum, qui pietatis ac religionis operibus deberetur, navigan-

navigando consumeret; quamobrem rectius eum esse facturum, si diem posterum expectasset. at ille, non esse id sibi integrum ait, quod profectionem in illum diem pronunciasset, ac velle in eo, quod dixisset, fidem servare; præterea, magnam ex ea re spem lucri ostendi; se enim vectores amplius quadraginta tollere, præter equos & merces, pro quibus naulum esset persolvendum; postremo, ventum operam dare, quod sciret quam raro hyeme soleret contingere. Lomellinus, cum eum ita obfirmatum videret, Quoniam, inquit, tibi fixum in animo est myoparonem solvere, Deum quidem propitium exopto, sed insignem aliquam calamitatem metuo. Sed vera illum præsagisse, eventus comprobavit. nam cum myoparonem solvisset, ut dixerat, adeo prospera usus est tempestate, ut quartum post diem delatus in Hispaniam, alteram ex iis insulis, quas Baleares vocant, attigerit, sed non sine magno suo malo: etenim à vento, qui invaluerat, arreptus, ad scopulos ibi proximos myoparonem fregit, quique in eo erant, ad unum omnes interierunt. cujus calamitatis fama, non nuncii cujusquam opera ad continentem permanavit; nam relictus est nemo, qui nunciaret, sed cadaveribus defunctorum equorumque, tabulisque percrebuit, quæ mari illo ferebantur.

X. *Parentibus summum, ex Dei præcepto, honorem cultumque tribui oportere.*

QVantum, & quam prope inexpiabile, in se scelus admittant, qui, ut divina lex jubet, debito parentes honore non prosequuntur, plurima atque gravissima, edita in eos exempla declarant, qui matrem vel patrem damno aut contumelia dignum existimarunt; è quibus unum recens proferam, in quo, ut mihi videtur, divinæ justitiæ severitas mirum in modum elucet.

Cum superioribus annis, capitale quoddam facinus esset admissum, venerat in ejusdem suspicionem homo quidam, qui re vera ab eo scelere aberat longissime: verum quæstione habita, sive metu sive dolore adductus,

ductus, coactus erat illud de se fateri; sed cum supplicii dies advenisset, traditus est sodalibus Misericordiæ, qui eum cohortationibus suis ad mortem æquo animo ferendam impellerent. at ille, qui sibi esset conscius, illud à se facinus non fuisse admissum, cœpit clamare, vociferari, Dei atque hominum fidem implorare, neque aliquam in se consolationem admittere; sed cum defessi essent cohortando consolandoque, neque quidquam proficerent, paululum interquieverunt. interim venit in mentem eorum uni, ita cum illo agere. esto, inquit, nihil ad te hoc scelus attinere, sed cogita amabo, num quid in vita admiseris, cui id supplicii debeatur. ille primo contemnere, nec velle audire; tum animum ad id, quod ille dixisset, intendere; postremo, cum aliquantulum in attenta atque acri meditatione defixus hæsisset, eos vocare, ac dicere: arbitror, me invenisse, quod Deus tam severe vindicandum censeat. ego paucis ab hinc annis matri meæ, quia me objurgabat, calce ventrem ferii, eamque de scalis deturbavi; quo ictu casuque in morbum incidit, eoque paulatim consumpta, deperiit; ac, Dei auxilio, ita repente immutatus est totus, ut alius videretur. nam & se jure plecti, ac levius etiam, quam merita ipsius poscerent, fatebatur, tum peccata sua multis cum lacrimis sacerdoti aperuit, atque æquum, ad mortem illam inhonestam ac turpem, animum attulit.

XI. *De eadem materia.*

APud quosdam homines, rusticanos præsertim, quorum magna pars, si malitiam & calliditatem excipias, nihil fere hominis retinet, apud eos, inquam, confecti ætate parentes, pene sunt odio, nec satis digni censentur, qui possint in hominum esse conspectu. itaque, quos morbus vel senectus, ad opus faciendum minus habiles reddit, rus abigunt, ut ibi cum feris alitibusque, quod reliquum est vitæ, traducant; cumque id faciunt, non sunt nescii, parem gratiam à suis sibi liberis redditum iri. nam, quemadmodum est in proverbio, *ut quisque sementem fecerit, ita metet*: quem morem,

morem, cum alias fere ſemper, tum maxime, cum uxores ducunt, exercent. quæ cum ita ſint, multis ab hinc annis, in quodam pago apud Samnites juvenis quidam, cum vellet domum uxorem ducere, parentem, annos natum ſupra centum, domo exegit, ac rus exulatum attraxit, ne ſenilis ille aſpectus, adoleſcentulis præſertim inviſus, uxori objiceretur. quem cum ad oſtium villæ perduxiſſet, ac vellet diſcedere, ſenex lacrimans oravit, ne ſe tam cito dereret, ſed ſaltem ad menſam uſque perduceret: eodem enim patrem ſuum à ſe fuiſſe olim adductum. erat autem menſa lapis in ſummo rure, ſub procera ac patula quercu, ad prandia & compotationes expoſitus. hac re ille tanquam percuſſus, Quid audio? inquit, ô pater, eadem ne à te olim in parentem tuum profecta eſt injuria, quæ nunc à me tibi oritur, neque æquiore apud liberos meos futurus ſum conditione, ſi vivam? non ſinat hoc Deus. atque extemplo, mutata voluntate, domum eum reduxit, in præcipua & commodiori ædium parte collocavit, ac ſummum in nuptiali cœna locum tenere voluit; cui plura miſſa ſunt munera, ac plures invitationes factæ, quam cuiquam aliorum. exhinc carum eum habuit, eoque, quo filios æquum eſt parentes, proſecutus eſt honore ac benevolentia. Hæc mihi narravit mulier grandæva, & ab omni vanitate abhorrens, ac timens Deum; quæ, cum eſſet Taliacotii, ab oppidanis illis acceperat.

XII. *Sacerdos è Soc. Ieſu, novo artificio, mulieris inſidias effugit, à qua ad ſtuprum incitabatur.*

P. Franciſcus Rocca, è Soc. Ieſu, vir cum primis ſanctus ac religioſus, qui complures annos mihi fuit à confeſſionibus, annos natus ſeptem & octuaginta, quorum ſexaginta in Societate confecerat; hic, inquam, tam gravis vir mihi narrabat, olim ſacerdotis cujuſdam, ex eadem Soc. pudicitiam acriter fuiſſe tentatam oppugnatamque, ſed divino auxilio integram inviola-

inviolatamque ſervatam. etiam matrona quædam, genere & copiis in primis excellens, eo in Patrem illum amore exarſerat, ut famam ac pudicitiam poſt libidinem ſuam haberet. itaque, libidine incenſa, eundem magnopere evocandum curavit; ſimulans, ſe gravi morbo correptam, velle peccata confiteri, quo nuncio ille commotus, pro eo quod mulier, propter ſummam nobilitatem, magno erat apud omnes honore ac nomine, accurrit, eamque in interiori ædium parte, in lecto jacentem offendit; quæ ſtatim, remotis arbitris, quo morbo affecta eſſet, aperuit; nam Dei timorem, ac generis nobilitatem oblita, cupide ſe in eum rejecit: quam ille, quanta vi potuit, à ſe repellens, multa ſevere & graviter dixit, ut ab eo morbo ſanaret; ſed laterem lavit. nam decretum erat mulieri, conata perficere. quamobrem furore libidinis amens, Niſi mihi, inquit, obnoxius fias, nunquam hinc pedem referes; omnes enim aditus ſunt ad exitus clauſi atque obſtructi: itaque, quid agas, etiam atque etiam cogita. ille in eas ſe anguſtias adductum videns, tanquam altera Suſanna ingemuit, & quia cor ejus erat fiduciam habens in Domino, à divino ejus auxilio non eſt deſtitutus, ſed mirum in modum adjutus. nam cæleſti afflatus ſpiritu, poſtulat ſibi locum oſtendi, ubi alvum exoneret; etenim ſe ejus dejiciendæ deſiderio teneri. illa ſecretiorem quendam locum demonſtrat; quo cum Pater ſe contuliſſet (honor ſit auribus) eo, quod venter excreverat, os ſibi perunxit, atque ita fœdus ac ſordidatus mulieri in conſpectum prodiit. cui, Ecce me, inquit, impura, tuum ad arbitrium tene, atque complectere. quæ ſtomachans continuo omnem de illo amorem ejecit, & in ejus locum odium admiſit; ac primò abire eum juſſit, tum vetuit quoquam ubi ea eſſet accedere, atque os ipſum ſuum oſtendere. ille, facta abeundi poteſtate, diſceſſit, & ad fontem ibi proximum os manuſque lavit, ſudarioque ſiccavit. itaque corporis ſordes ſaluti fuere animo, ne luxuriæ cœno inficeretur.

XIII. *Alterius ex eadem Societate, falso crimine accusati, in sufferenda calumnia, virtus & constantia.*

QVoniam de Patribus Soc. Iesu mentio injecta est, aliud alterius ex eadem familia facinus commemorabo, in quo mihi omnes virtutes castitatis, patientiæ, humilitatis, fortitudinis inesse videntur. Sacerdos audiendis confessionibus præpositus, matronæ cujusdam, eximia pulchritudine, cum pari integritate pudicitiaque conjuncta, confessiones excipiebat. hanc juvenis quidam impurus ad insaniam concupierat; sed cum omnes ad eam aditus, suis cupiditatibus interclusos aspiceret, existimavit, id sacerdotis illius consiliis & admonitionibus fieri; ac pro certo credidit, illud tam munitum præsidium pudicitiæ se expugnaturum, si dedisset operam, ut eo auxilio nudaretur. itaque sacerdotem illum, apud superiorem suum, probri flagitiique insimulare constituit; nec mora, ad eum venit, ostendit, sacerdoti illi veterem cum ea muliere stupri consuetudinem esse; fictos in eum testes dat, qui dicunt pro testimonio, eum à se manifesto in flagitio deprehensum; atque adeo rem totam ad similitudinem veri componit, ut omnis misero illi, tum inficiandi, tum existimationis suæ à calumniis vindicandæ ratio præcideretur, quamobrem superior, de consilii sententia, graviter animadvertendum in eum statuit, ac primo sacris eum intercidit, tum levioribus quibusdam provinciis præficit; nimirum ut domum verrat, ostium servet, & alia etiam humiliora procuret; quam ille contumeliam, Christi Domini causa, tacite ferendam esse arbitrabatur. Sed non est oblitus Dominus servi sui. nam quem, ejus videlicet virtutis periclitandæ gratia, in ea invidiæ flamma esse permiserat, ab ea etiam cum voluit, eundem eripuit, atque lethali calumniatorem illum morbo percussit, quo cum acrius in dies premeretur, confessus est sacerdoti peccata sua; cui, inter alia, negocium illud aperuit, quod innocenti facesse-

rat. at prudens ſacerdos, non poſſe eum Deo judici ſalvum eſſe, reſpondit, niſi quem fama privaverat, exiſtimationi hominum vindicaret. qui facti pœnitens, rem totam in ſacerdotem rejecit, ut nimirum ea faceret, quæ in rem animæ ſuæ eſſe intelligeret. ille nihil ſibi eſſe faciendum prius exiſtimavit, quam ut ſuperiorem adiret, & ærumnoſum illum, falſo crimine circumventum, ea miſeria liberaret. ſed ſatis dici verbis non poteſt, quanto ſuperiorem illum gaudio jucundiſſimus hic nuncius affecerit, & quantas quamque ingentes ſacerdoti illi gratias egerit. tum innocentem illum ad ſe venire juſſum poſtquam arctiſſime complexus eſt, multis cum lacrimis exoravit, ut ſibi parceret, quod per ſummam injuriam, tam multa in eum aſpere ſæviterque ſanxiſſet.

XIV. *Iuvenis meritricem, caſtitatem ipſius labefactare conantem, humani cadaveris capite objecto ad pœnitentiam revocat, ſeque periculo eripit.*

SVperioribus annis, quemadmodum mihi narravit P. Io. Matthæus Ancina, Congregationis Oratorii, Romæ juvenis quidam ex Sodalitate Deiparæ Virginis Aſſumptæ, in Ædibus Patrum Oratorii, adeo in piis operibus, quæ ſunt ejus Sodalitatis propriæ, ſe exercebat, ut ceterorum fere ſtudia aſſiduitate diligentiaque anteiret, & à cunctis in exemplum virtutis probitatiſque ſuſpiceretur. quod cum perpetuus humani generis hoſtis animo iniquiſſimo ferret, ac doleret, inter tot peccandi illecebras, ætate integra hominem, animum integrum inviolatumque ſervare, atque in humano corpore vitam imitari Angelorum, dedit operam per flagitioſos homines, ut præſertim meritriciis amoribus irretitum, in ſua caſtra pertraherent. quamobrem ejus impulſu, juvenes aliquot, primum in eo omnes induſtriæ ſuæ nervos contenderunt, ut in meritricis cujuſdam domum ſecum una perducerent. ſed cum id parum procederet, alia via caſtiſſimum ejus propoſitum

ſunt

ſunt conati pervertere. die quodam, conſcia ea mulier-cula, apud quam in hoſpitium ille diverterat, ætate integra & forma egregia mulierem, ejus in cubiculo claudunt, atque his præceptis onerant, videlicet ut advenientem comiter excipiat, ac blandiciis & illecebris captum ad nequitiam adducat. illa, ſatis ſuperque ad malitiam inſtructa, plus ex ſe daturam pollicetur, quam illi poſcerent. itaque inſidiarum ejuſmodi ignarus, à piis ſuis exercitationibus, juvenis rediens, pedem intro in cubiculum infert; cum meritrix docta, dolis inſiſtit. ille egregio mulieris aſpectu, ex improviſo percuſſus, ſenſit ſe non minimum commoveri; ſed ſtatim animum recipiens, ſpiritu Dei plenus, arrepto cadaveris humani capite, quod ad meditationes mortis habebat, id illi, prodeunti ſibi obviam, objecit, ac, Mox, inquit, peſſima, tua iſthæc facies, tam compta, tam fucata, tam nitida, ad iſtius ſimilitudinem, horrorem incutiet. hoc ſpectaculo exterrita, plane vehementer exhorruit, ac fuſa in lacrimas, illius ad pedes accidit, veniam orans; qua impetrata, longe alia diſceſſit ac venerat. nam poſtridie flens ad ſacerdotis pedes ſe abjecit, ut ſeria ac diligenti confeſſione præteritæ vitæ ſordes ablueret, ac cum Deo rediret in gratiam; cui deinceps, ejuſque Virgini matri obſequentiſſima, quoad vixit, fuit.

XV. *Cadaverum defunctorum aſpectum, ad vitia extirpanda, plurimum prodeſſe.*

ET ſane nulla res tantam vim habet vel ad comprimendos libidinis æſtus, vel ad compeſcendas inanium rerum cupiditates, quam mortuorum aſpectus, aut arida eorundem cadaverum oſſa. tunc enim, non cogitatione ſolum, vel auribus, ſed oculis ipſis accipitur, corpus hoc noſtrum tantopere à nobis cultum, & in deliciis habitum, nihil niſi fœtidum cœnum ac funeſtum eſſe pulverem. atque tantum huic rei ad vitam honeſte ac laudabiliter exigendam, viri omnium ſanctiſſimi tribuerunt, ut in ipſis mortuorum ſepulcris ta-

bernaculum vitæ collocarint, neque uſquam tutius, adverſus carnis ac mundi illecebras habitari poſſe ducerent, quam ubi mortis memoria altius in ipſorum animis inſideret, nec ab eis unquam excideret.

Quam multi in hiſtoriis ſacris leguntur, qui viſis cadaveribus eorum, quos unice in vita dilexerant, vel propter honorem, vel formam, vel gloriam, prope in deorum loco vel numero habuerant, repente ab inanium rerum cogitationibus animum abduxerunt, & in Deo collocarunt? inſigne eſt illud, & à multis ſæpe commemoratum B. Franciſci Borgiæ, Gandiæ Ducis exemplum, qui cum Iſabellæ Caroli V Imperatoris conjugis mortuæ faciem, adeo tetram, adeo fœtidam, eſſet intuitus, ut neque ejus aſpectum ferre, neque exeuntem ab ea fœditatem odoris pati quiſquam eorum, qui aderant, poſſet, ac cogitans, quo demum humanæ gloriæ faſtus recideret, uſque adeo commotus eſt, ut ſtatim de novo vitę genere ineundo cogitaverit,& quam primum potuit, principatu ac reliquis vitæ commodis repudiatis, Societati Ieſu, humili tum ac neglectæ pauperum familiæ, nomen dederit, in eaque ad extremum uſque ſpiritum ſanctiſſime vixerit.

Neque illud eſt prætereundum, quod de adoleſcente quodam nobili narratur, quem ipſi, multis ab hinc annis, ſumptuoſe eleganterque veſtitum, equoque inſidentem, tota urbe vagari conſpeximus. hic, cum honeſta in primis forma mulierem adamaret, ſectaretur, eidemque propemodum, ut deæ, honorem haberet, neſcio quo caſu, biduum domi ſe ſe continuit; neque quiſquam affuit, quem percontari, quid rerum ea mulier ageret, poſſet; ſed cum demum, tanquam diuturnam ſitim explere cupiens, iret, ut ejus aſpectu oculos paſceret, forte, qua iter habebat, in æde quadam ſacra, animadvertit, mulieri mortuæ exequias fieri; accedit, inſpicit, atque in ejus facie magnam ejus mulieris, cujus erat cupiens, ſimilitudinem reperit; quærit, ecquæ ſit ea mulier; audit, eam eſſe, quam deperibat, cujuſque aſpiciendæ tanta cupiditate flagrabat; eam enim bidui morbo conſumptam, illuc elatam eſſe, ut ſepulturæ mandaretur, quæ res, tam repentina, tam nova,

tam atrox, quam illi admirationem, quem horrorem, quem animi dolorem intulerit, non est necesse dictu, sed in aliorum cogitatione relinquitur: ac nihil propius est factum, quam ut ibi ex ægritudine mortem obiret: verum cum se paululum collegisset, illinc vix vivus excessit, ac reversus est domum; ubi, cum in acerrima attentissimaque cogitatione defixus hæreret, paulatim traductus est ad rerum humanarum varietatem, inconstantiamque, ad vitæ brevitatem, ad mortis necessitatem, ad formæ muliebris vanitatem contemplandam; atque in ejusmodi cogitatione, adeo divinæ gratiæ lumine illustratus est, ut rebus tam falsis tamque fallacibus se subducere, & æternam suam salutem in tuto collocare statuerit; ac, ne longum faciam, paucis post mensibus, arctissimam fere omnium, quæ nunc vigent, religiosorum ordinum familiam ingressus est, in eaque, quoad vixit, ceteris exemplum castitatis, abstinentiæ, humilitatis, virtutumque omnium extitit.

XVI. *Rei familiaris, vel existimationis damnum, rectam homini mentem injicere.*

Neque solum Deus ex horribili mortuorum aspectu, verum etiam ex aliqua rei familiaris vel existimationis jactura, complures, à latissima sæculi via abreptos, inter religiosorum hominum claustra abstraxit; atque hos inter, ante annos circiter duodeviginti, præstanti nobilitate juvenem, qui ludis Bacchanalibus, in ludicra armorum concertatione, cui fortasse spectatrix aderat ea, quam his artibus sibi conciliare studebat, non modo nihil ex se se expectatione hominum dignum edidit, verum etiam se ultro deridendum ac deludendum exhibuit. nam cum in maxima totius fere Vrbis corona Trojam luderet, cumque se maxime populo placere arbitraretur, infeliciter equo delapsus, omnium cum risu pene ab eodem est oppressus: qui casus tantum eidem rerum humanarum odium ingenuit, tantumque ruborem incussit, ut cum verecundaretur in publicum prodire, in claustris Religiosorum quorun-

dam hominum se abdiderit; ubi nunc, non solum imperio ac potestate, verum etiam probitate, animi demissione, ac rerum omnium contemptu, compluribus ejus familiæ præest. bene ergo rogat Dominum David, ut improbos ad pœnitentiam homines, hac in primis ratione traducat: *imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.*

XVII. *Vir nobilis ac pius, ei, qui ipsi colaphum impegerat, alteram maxillam objicit.*

QVod fieri vix posse existimatur, ut quisquam colapho percussus, alteram maxillam præbeat, id Dei auxilio facile posse contingere, nostra fere memoria, ostendit Alexander Luzagus, nobili genere Brixiæ natus. hic etiam tum viris duobus illis clarissimis sanctitatis luminibus, Carolo Borromæo, & Philippo Nerio, quibus cum illi amicitia atque usus litterarum intercedebat, multarum splendore virtutum enituit; sed inter cetera pietatis opera, quibus suum ille studium dederat, summam in eo operam collocabat, ut suorum civium discordias sedaret, pacemque inter eos componeret. verum cum unus insignem ab altero injuriam accepisset, studeretque eum illi, à quo læsus fuerat, reconciliare; accidit, in altercando, ut ab eo graviter colapho feriretur; qua contumelia, adeo non est illi factus iratior, ut etiam alteram oris partem verberandam tradiderit. hæc tam insignis animi mansuetudo atque patientia, tantam in eo, qui ferierat, commutationem effecit, ut se se illi ad pedes projecerit, ac vim lacrimarum effuderit, postremo, depositis simultatibus, ex illius arbitrio ac voluntate, pacem cum inimico confecerit.

XVIII. *Gravi-*

XVIII. *Graviter vulnerato, condonando inimicis injuriam, statim vulnus obducitur & sanatur.*

EQues quidam, ab inimicis suis circumventus, grave vulnus acceperat, neque, tam insigni accepta injuria, quidquam æque studebat, quam ut iniquissimis illis parem gratiam referret; nullaque cujusquam oratione adduci poterat, ut aliquam conditionem pacis acciperet: verum cum Capuccinus quidam, egregius rerum divinarum interpres, eò venisset, rogatus est, ut hominem adiret, atque experiretur, num posset ejus animi duritiam flectere, & ad cogitationes pacis adducere; qui cum non invitus negocium suscepisset, venit ad eum, atque, ut erat in primis disertus, de condonandis Christi causa injuriis, multa graviter copioseque narravit; cujus orationis vi tandem extorsit ab eo, ut polliceretur, se pacem cum inimicis facturum. & sane, id tum ex animo ab eo dictum promissumque constabat; sed quoties vulneri curatio adhibebatur, fiebat, doloris magnitudine, ut de sententia dejiceretur, ac rursus ad persequendas inimicitias animum adjiceret: quod cum ipse animadverteret, ac dæmonis has esse technas agnosceret, cui utile erat maxime, ipsum ab odio non discedere, sed inimicitias, ut antea, gerere, vetuit sibi antea vulnus curari, quam tabellio venisset, & in publicas tabulas retulisset, omnem se acceptæ injuriæ memoriam abjicere, ac velle cum inimicis suis esse in amicitia & gratia. quo facto, cum medicus vulnus aperiret, sanatum obductumque illud invenit, vix ut ullum cicatricis cujuspiam vestigium ostenderet.

XIX. *Malevolus quidam, dum probum ac pium virum ex insidiis aggreditur, subito stupore corripitur.*

IO. Angelinus, ex ea Sodalitate B. Virginis in ædibus patru m Oratorii, quam diximus, ex falsa quadam

 dam

dam ſuſpicione, venerat cuidam in odium tantum, tamque acerbum, ut omnibus horis ad necem expeteretur. id odium acrius vehementiuſque inflammabant alii quidam, quibus propoſitum erat hunc innocentem opprimere; qui fuerunt inimico illi auctores, ut redeuntem eum ab æde Oratorii aggrederetur vitaque ſpoliaret: quæ cum illi ratio placuiſſet, iter, quod illi neceſſario ineundum erat, armatus obſidet, ferroque advenientem, ac nihil tale ſuſpicantem, invadit: ſed vix proxime ad eum acceſſit, cum eo horrore perfuſus eſt, ut brachia manuſque torperent, vel potius totus ſine aliquo ſenſu hæreret. quod ille veneficiis & cantionibus tribuens, Venefice, inquit, quid tecum effers, quod mihi vires atque animum adimit? cui ille intrepidus, Chriſtum, inquit, fero. (nam eo die, Chriſti corporis ſacramenta perceperat,) hic me tibi eripit, hic omnes tuos conatus in irritum redigit. quo audito, admiratus eſt hominis probitatem, ſeque falſis malevolorum accuſationibus aures dediſſe pœnituit; tum ad eum converſus; Satis jam, ſatis, ait, tua mihi perſpecta eſt virtus, ſatis iniquorum tuorum nota malitia, qui te mihi falſo conati ſunt in ſuſpicionem adducere; abi, ac Deum pro me comprecare, in cujus tutela patrocinioque verſaris. tum abiens, rem totam, id quod factum antea oportuit, diligentius indagandam inveſtigandamque curavit, atque invenit falſas illas criminationes, odii cauſa, ab invidis confictas eſſe, neque quidquam ad eum, quem pro inimico habuerat, pertinere.

XX. *Fratricida juſtas Deo facinoris ſui pœnas exſolvit.*

IN Polonia, ejus Regni Proceres, hoc plane ſunt jure, ut ſi quis decedat, relictis ex ſe pluribus filiis, qui eſt natu maximus, ſolus hæreditatem accipiat, reliquis autem fratribus, pro ipſorum nobilitate, victum veſtitum, & reliqua ad vitam neceſſaria ſuppeditet. Erat Comes quidam fere ejus Regni primus, tribus liberis præditus, quorum qui primo erat ætate proximior, hæres patri eſſe cupiebat, ſed Regni legibus, non poterat,

rat, superstite illo, ut diximus, qui ipsum ætate antecedebat. quamobrem amens cupiditate, decrevit illum insidiis ac fraude, ac, si minus res procederet, palam extinguere. itaque dat sicariis quibusdam negocium, ut eum quovis modo obtruncent; qui, ut erat imperatum, efficiunt. sed non diutius impune hoc abstulit. nam cum paulo post tanto scelere inquinatus, in Italiam, ac Romam venisset, atque inde Neapolin ejus urbis visendæ studio contenderet, dum apud Citernum quiescendi gratia consistit, atque interim equos in proximum ibi agrum pabulatum dimittit; à rustico homine, ejus agri custode, quem verborum contumeliis affecerat, glande è sclopo dimissa trajicitur; ac subito moriens, minime diu perceptæ ex fraterna cæde voluptatis potitus est.

XXI. *Dæmonis insidiæ, cogitationes quas in nobis excitat, cum prudentiore communicando, vitantur.*

Cum pravas cogitationes dæmon in animum nobis immittit, nihil æque studet, atque illud, ut occultas eas habeamus, neque cum iis communicemus, quibus ipsi moderandi regendique nostri potestatem, quasi quasdam habenas tradidimus. neque enim dubitat, si continuo aperiantur, quin omnes ejus artes palam fiant, & conatus in irritum recidant. hic igitur, tam callidus ac veterator humani generis hostis, cum matronam in primis nobilem, suadendo incitandoque, compelleret, ut adulterium cum adolescente committeret, à quo propter formam expetebatur, cumque incertus mulieris animus æstuaret dubitatione, & in varias partes raperetur; tandem fluctuanti, ac jam pessum eunti subvenit Deus, subjecitque, ut ad insignem concionatorem, qui tum magnum doctrinæ & sanctitatis nomen habebat, rem totam referret, quodque ipsi dedisset de ea re consilium, exsequeretur. itaque venit ad eum, egregium adolescentis in se amorem commemorat, propensam suam in eum voluntatem exponit, quid sit opus facto,

perquirit; quibus auditis, Video, inquit ille, te in adolescentem istum mire propensam, eo quod ab eo te diligi arbitreris; at si tibi alium ostendam, cujus in te amor & studium longe majus existat, non ne æquum est, illum priores apud te partes habere? At mulier, (quod erat illi sermo cum viro sanctissimo religiosissimoque) hac oratione Christum designari existimavit: atque, Ita est, inquit, Christus est præ ceteris diligendus, & in oculis ferendus, cujus in nos amor ceterorum studia, infinito intervallo, præcurrit; at si de hominibus loquamur, egregiam hujus adolescentis in me benevolentiam esse percipio. cui ille, erras, inquit, alium intelligebam. quem igitur? ait illa; me ipsum, respondit; ego, inquam, amore in te & benevolentia longe istum, quem prædicas, anteeo. uter, obsecro, majori te dilectione complectitur, ille ne qui tibi famam ac pudicitiam studeat adimere, an ille, qui hæc ipsa sarta tecta præstare conetur? at quisquis te amore venereo prosequitur, dum suam abs te voluptatem expleat, non laborat, si pudicitiæ atque existimationis faciat expertem; contra ego nullius rei ita sum cupidus, ut existimationis tuæ bonæ, &, quod refert, salutis æternæ. atque, occasione sumpta, tam multa de fama pudicitiaque tuenda, de fœditate peccati, de pœnis apud inferos improbis constitutis, atque ita graviter copioseque dixit, ut mulier sententia destiterit, eoque perducta sit, ut millies antea mori decreverit, quam quidquam admittere, quod esset contrarium divinæ legi, ac matris familias honestati. cujus voluntatis, amatorem suum certiorem per litteras fecit, eundemque conata est ad officium sanitatemque reducere; neque operam perdidit. nam litteris lectis, ad se ipsum rediit, atque probrum castæ, labem integræ, famam bonæ se voluisse inferre, pœnituit, & simul novam mentem induit, nova consilia suscepit, & usque eo, castitatis amore studioque, processit, ut multis, qui in eodem curriculo erant, vitæ integritate sanctimoniaque præierit. Hæc ego de eodem illo concionatore audivi; pro suggestu cum diceret, nusquam fortius nostro ab animo dæmonem rejici, quam si probo atque experienti cuipiam magistro, intima

ma cordis nostri cubilia atque recessus aperiantur. & in hanc sententiam refert Ioannes cognomento Climacus, se vidisse, in quodam cœnobio, insignem ætate & sanctimonia monachum, cujus lateri tabella pendebat, in qua cogitationes omnes suas, deinceps, ut veniebant in mentem, describebat; quo eas facilius Abbati, ut præceptum erat, ostenderet. prudens videlicet Abbas intelligebat, cordis cogitationibus palam factis, dæmonis insidias non esse magnopere pertimescendas.

XXII. *Optimum & Christiano viro dignum vitæ exitum à Deo esse petendum.*

Nihil tam optandum est Christiano viro, quam ut ipsius anima moriatur morte justorum: sed sunt aliqui ingenio adeo pravo, adeo perverso, ut pessimam peccatorum mortem exoptent. nam sunt, qui cupiant fortiter in acie dimicantes occumbere; alii, ne vivi in hostium vel judicum potestatem manusque perveniant, similem Catoni exitum concupiscunt, qui se, voluntaria morte, inimicorum acerbitati subduxit; alii, quod est peccatorum genus longe pessimum, in complexu amiculæ optant diem supremum obire, vel, si minus id liceat, morte pro eadem fortiter subeunda, vim sui in eam amoris ostendere. nam stulta quadam opinione ducti, nullam vitam putant, huic morti anteponendam. Ex hoc genere fuit unus, qui pluribus abhinc annis fidicinæ cujusdam, magni nominis, amore tenebatur. hic cum ob æs alienum, quod debebat, in vinculis publicis detineretur, atque incredibili absentis amicæ desiderio excruciaretur, illa, quo fortasse eam homini miseriam leniret, nocte quadam ad eum, ante carceris ostium venit, & cantilenam quandam recens compositam, in qua de amatorum morte fiebat mentio, ad fidium cantus, scite admodum ac lepide cecinit; qua conclusa, ille miser, fidicinæ illius desiderio correptus est, adeo, ut à carceris clathris abiens, unde feralem illum cantum per aures in animum miserat, seque pronum in lectum abjiciens, morte extinctus subita sit.

XXIII. *Alter*

XXIII. *Alter itidem ob amorem, prudens scienſque, ad interitum ruit voluntarium.*

SImilem prope exitum vitæ nactus eſt alter, qui cum mulierem nobilem ad inſaniam adamaret, ſectareturque, admonitus eſt à pleriſque, ut incepto deſiſteret, neque committeret, ut propter inſanam illam cupiditatem, in apertum vitæ diſcrimen veniret; quibus ille reſpondebat, longe ſibi vita cariorem mortem illam fore, quam ejus mulieris cauſa ſubiiſſet; quamobrem veniret; non ſe illi libenter occurſurum: verum infortunium, quod negligebat, ſive potius optabat, non fuit in mora, ſed properavit accedere. nam cum in eadem inſania perſeveraret, ac propter eam mulier in populi ſermonem vituperationemque veniſſet, ab ejus viro, qui eam infamiam ferre non poſſet, ex inſidiis oppreſſus, eum, quem concupierat, vitæ finem obtinuit.

XXIV. *Male illis evenire, qui Deum ſacroſque ejus ritus deridiculo habeant.*

QVo anno F. Hyacinthus Caſalenſis Capuccinus Romæ, in Æde D. Laurentii in Damaſo, ſacras ad populum conciones habebat, dabat operam ſedulo ut intimum animi dolorem, ex peccatis in Deum commiſſis, in auditoribus ſuis excitaret. itaque ſæpe eos jubebat, poſitis humi genibus, magnaque voce, Dei miſericordiam implorare. Sed quia adſunt interdum, qui ea, quæ ſalubriter ad hominum utilitatem inſtituta ſunt, cum riſu excipiant, (quod eſt commune vitium adoleſcentiæ,) ut omnis ſcurrilitas removeretur, narrabat; dum Mediolani, niſi memoria me fugit, concionaretur, & hac eadem ratione populo fletum movere ſtuderet, inter eos qui divinam miſericordiam implorabant, fuiſſe deriſorem unum, qui loco miſericordiæ, vocum ſimilitudine, peteret ſemilibram cordæ, (ita enim Itali funem appellant) ſed, paucis interjectis menſibus, ſe veniſſe evocatum ad quendam, ajebat, qui

eſſet

esset ultimo supplicio afficiendus, quo eum, ut fit, in extremo illo casu consolaretur, sed advenientem se arctissimis fuisse ab illo amplexibus circumplicatum, multisque cum lacrimis exoratum, ut sibi ignosceret, Deumque pro ipso deprecaretur; se enim eum esse, qui, cum voce ac lacrimis, Dei in se misericordiam implorare juberetur, joci causa, cordæ semissem exclamasset; itaque præsto esse illum funem, quem expetiisset; etenim ob sua sibi scelera vitam esse suspendio terminandam; quod si tunc ex animo divinam misericordiam, ab ipso admonitus, implorasset, eam in se facile expertus esset, tantamque vim malorum à sui capitis peste depulisset. Quamobrem ille miser expertus didicit, vere dictum à sapiente, *parata esse derisoribus judicia. Proverb*, IX, 29.

XXV. *Egregium singularis cujusdam obedientiæ exemplum.*

ADolescens quidam, ex optima sanctissimaque Religiosorum hominum familia, novum hoc & inauditum egregiæ cujusdam obedientiæ specimem edidit. Huic cum, ex morbo, alvus esset adstrictior, ac propterea clystere emollienda, recusabat illum acciperet, eo quod, modo ab igne detractus, effervesceret. verebatur enim id, quod postea accidit, ne sibi intestina incenderentur. quod valetudinarii præfectus, rudis atque imperitus rerum, ad molliciem animi, atque ad delicias referebat. quamobrem clystere ad ignem rursus apposito, ne tepesceret, ad superiorem adiit, accusavitque eundem apud illum inertiæ, & criminis, animi parum dicto audientis: at superior, ad eum veniens, quem nimirum cuperet, ex eo quam primum morbo convalescere, Ejicienda est, inquit, hæc mollicies animi, ac medici jussis obtemperandum; jam videro, quantum obedientiæ tribuas, cujus voto Deo te obligasti, atque eadem opera se è cubiculo foras ejecit: at bonus ille adolescens nullum existimans excusationi locum esse relictum, ac simul, voti religione objecta, metuens ne parum obtemperans haberetur, passus est illud ardens medicamentum sibi in alvum immitti, quod visceribus infusum,

fusum, mortem ipsi, quam acerbissimam attulit. maluit videlicet certissimum vitæ periculum adire, quam aliquam vel tenuem non ita obsequentis animi suspicionem injicere. Hæc mihi etiam tum puero tradita sunt à Septimio Cenino, à quo in bonis artibus erudiebar, qui fuerat Seminarii Romani Clericus, atque eadem hæc à moderatoribus ejus Collegii, viris gravissimis acceperat.

XXVI. *Libidines hominum à Deo, non solum in futura, verum etiam in hac vita, pœnis suppliciisque constringi.*

ADeò Deus, qui ipsamet sanctitas est, impudicitiæ omnisque incontinentiæ crimina detestatur atque horret, ut ad ea vindicanda sæpenumero supremi judicii tempus non expectet, sed in præsentia, damno, dedecore ac morte coërceat. F. Nicolaus Ricardius, qui ab incredibili ac pene prodigiosa ingenii magnitudine, Monstri cognomen invenit, narrat, olim se à quibusdam magno opere fuisse evocatum, ut ad morientem accederet, ejusque confessiones exciperet; & cum ipse, pro sua egregia in omnes caritate, non invitus has partes suscepisset, sensit continuo, sibi caput obvolvi, seque ita obvoluto capite, in quoddam conclave perduci; ubi, remoto ab oculis velo, ad exiguum nescio quod lumen, mulierem adolescentem plorantem aspexit, cui, manifesto in flagitio deprehensæ, ferro vita erat eripienda; additque, transactis jam suis partibus, capite ut antea obvoluto, eodem se, unde deductus fuerat, reductum fuisse.

Verum, è re nata, non incommode alteri cuidam mulieri accidit; quæ cum ex furtivo concubitu gravida evasisset, cumque ad pariendum vicina, temporibus exactis, laboraret ex dolore, simulavit, se lethali morbo ex improviso correptam extingui, ac continuo, in ejus auxilium animæ, Capuccinus quidam accitur; cui illa, remotis arbitris, veram morbi causam aperuit; neque, si reticuisset res ipsa non indicasset; nam eo adhuc præsente enixa est puerum. tum mulier lacrimans cœpit

misere

misere Patrem illum orare, ut sibi subveniret, daretque operam, ut partus ille clam parentes atque adeo cognatos ejus omnes eveniret; neque enim, parturire se, aut gravidam esse, quemquam conscium; ceteroqui, si id paululum suboleret, sibi omnes cruciatus esse perferendos. at bonus ille Capuccinus, misericordia captus, bono esse animo eam jussit, pollicitusque est, eam sibi rem cordi futuram; magnam se habere spem, & diligentia sua, & Dei præsidio, fore omnibus occultam. nec mora, id, quod pepererat, intra vestes abditum, nemine animadvertente, foras extraxit, & sacro baptismatis fonte ablutum, nutrici alendum tradidit. itaque neque illam fuisse puerperam, ac ne prægnantem quidem, adhuc quisquam rescivit.

XXVII. *Panes benedictos, ut vocant, S. Nicolai Tolentinatis, magnam vim habere adversus tempestates & incendia.*

ANgelus Lomellinus, cujus antea meminimus, cum, mense Majo anni MDCXXXII, Sorianum, quod est oppidum Calabriæ, pietatis ac religionis ergo contenderet, Alexandro cuidam à Turre Panormitano, qui illuc eadem de causa proficiscebatur, se comitem addidit. erat huic Alexandro famulus vehemens, ac moræ cujusvis impatiens; huic abeundi cupido nullis rationibus suaderi potuit, ut triduum saltem Pentecostes, in quod tempus adventus illorum incurrerat, ibi traduceret, sed importune perfecerat, ut itineri se se committerent; sed cum ad Circeum montem pervenissent, ob difficultatem navigandi, quod tum ventus mari insederat, qui est Cajetam petentibus contrarius, coacti sunt ibi quandam in turrim se recipere. at famulus ille, eadem expectandi impatientia exagitatus, Parvulus mihi, inquit, est panis in honorem D. Nicolai Tolentinatis benedictus, ut ajunt; hic, ut alias expertus didici, tempestates abigit, serenitates advehit; nunc si mihi ille idoneum ad navigandum mare non reddit, omnem posthac Divo illi fidem abrogabo, neque cultum aut hono-

rem

rem aliquem adhibebo. quæ cum loqueretur, acriter ab illis vehementerque est objurgatus. res mira; vix mare panem illum excepit, cum summa tranquillitas est consecuta, cœpitque ventus ille, quo maxime indigebant, ita operam dare, ut cum meridie solvissent, fere ante solis occasum Cajetam attigerint, quæ distat ab eo loco millia passuum quinque & quadraginta.

Idem Angelus, cum, anno MDCXXXIII, Epiphaniæ die, venisset Neapolin, exceptus est hospitio, à viro ejus civitatis nobilissimo, cumque cœnatus cubitum isset, removeri lumen vetuit. nam solitus erat, ante quam somnus obreperet, aliquod tempus lectioni tribuere. sella erat proxima lectulo ubi cubabat; in ea femoralia, tibialia ac thoracem collocavit, candelam vero accensam alteri sellæ manubrio commendavit. sed cum satis lectioni dedisset, jamque somnus videretur accedere, deposito libro, extinctoque lumine, quieti se tradidit; sed cum eundem arcte somnus esset amplexus factus est familiarium ad eum strepitus atque concursus, quibus cubiculum intus lucere videbatur; quorum vocibus expergefactus, sellam una cum vestibus arsisse, seque prope circumdatum flammis aspexit, quare perterritus, se è lecto foras ejecit, & suam unà cum aliis ad comprimendum ignem, operam contulit. inerat sacculo femoralibus adjuncto clavis, cum pane uno S. Nicolai Tolentinatis, quæ ille inter cineres quærens, in quos vestimenta redacta fuerant, deprehendit, clavem nigredine, ex igne fumoque, obductam, panem vero, quamvis in eadem cum clavi flamma fuisset, nullum ab igne detrimentum accepisse, sed suam prorsus integritatem & albedinem conservasse.

XXVIII. *Non esse, in rebus dubiis, de Dei providentia desperandum.*

HEbræus quidam, non ita multo ante ad Christi fidem conversus, in eas rei familiaris angustias redactus erat, ut omnia ad necessarium usum deessent. accedebat ad egestatem morbus difficilis ac diuturnus; quo fiebat, ut ne suis saltem operis sibi victum quæritaret, &,

quod

quod gravius est, omnium in se benignitatem clausam esse intelligebat. quamobrem totus à Dei providentia pendebat. non sibi deerat dæmon, sed, tam opportuna occasione susceptâ, assiduas illi pugnas dabat, atque tales quasdam cogitationes immittebat in mentem, videlicet ut Christiana religione relicta, unde illud sibi incommodum provenisset, Iudæorum castra repeteret. aderant etiam Iudæi, cum munusculis, quæ ille forti & constanti animo respuebat, atque objicientibus, quod falsis Christianorum promissis se credulum præbuisset, respondebat, minime se à Christo fuisse deceptum; nam cum Christianis sacris initiaretur, nullas sibi honorum divitiarumque pollicitationes esse factas, sed contra, multa aspera & adversa prædicta, quæ Christi sectatoribus parata essent. ne multa, jam eò miseriarum redactus erat, ut nihil ipsi superesset, præter unicum sacrarum literarum volumen, quod Biblia vocant; quod, quamvis in suis illis calamitatibus magno sibi esset solatio, attamen amico cuidam suo vendendum tradidit; quod cum ille bibliopolæ ostendisset, cœpit cum eo litigare de precio. etenim tam elegans volumen minimo auferre conabatur. sed dum maxime altercatur, exauditus est ab homine locuplete ac nobili, qui forte illac iter habebat, rogatúsque quid litigaret, illi & litis causam & simul extremum miseri illius casum, in quem erat adductus, aperuit. continuo ille, Eamus, inquit, visere; duc me. it, venit, ac suis, ejus viri inopiam, oculis, majorem etiam esse quam ille loqueretur, accepit. quamobrem misericordia captus, non eam modo in præsentia sublevavit, verum etiam, quoad vixit, liberaliter suis opibus sustentavit.

XXIX. *Cuidam, D. Dominici Ædem, quæ Suriani colitur, visendi vehementer cupido, equi ad iter divinitus suppeditantur.*

SVriani in Calabria, mira est religio D. Dominici, adeo ut ad ædem ejus sacram, non vicinarum modo urbium, sed remotarum etiam regionum homines con-

fluant, ardebat cupiditate incredibili, eodem accedendi. Alexander à Turre, Panormitanus, de quo diximus, ac invitabatur etiam loci propinquitate; nam cum in Siciliam reverteretur, non procul ab eo iter habebat, sed inopia equorum sibi animum explere non potuit, atque Angelo Lomellino, qui peregrinationem illam, ex voto, susceperat, nummis aliquot traditis, quos oblationis nomine in religiosam illam ædem inferret, institutum prosecutus est iter. sed cum postridie mane Tropia Messanam versus solvisset, & secunda uteretur navigatione, intimo quodam animi dolore compulsus, Ergo, inquit, ô Dominice, neque Surianum accedere, neque religiosissimum tuum templum invisere, posthac mihi licebit? obsecro, fluctus move maritimos, qui nos illuc rejiciant, unde discessimus. vix ea locutus fuerat, cum adversa tempestas exoritur, quæ nautas vorsoriam capere, ac retro vela dare coëgit. itaque in litus expositus, è vestigio ædem D. Dominico sacram ingreditur, ac positis humi genibus, ejus ad imaginem, ejuscemodi orationem habuit: Perspicuum est tibi, vir sanctissime, quod corpore sim obeso atque infirmo, neque te fugit, quam hæ duæ res sint inutiles, ad millia passuum quatuor & viginti, pedibus, conficienda; da operam, obsecro, ut aliqua equorum mihi facultas obtingat; secus enim, cras, ubi illuxerit, recedendum erit, atque à te longius abeundum. qua oratione, ita perorata atque conclusa, exiit foras è templo; & ex insperato, vidit homines, cui duo ephippiati erant equi, & ad iter faciendum ornati; tum gaudio, supra quam dici potest, elatus, eorum unum famulo tradidit; alterum ipse inscendit, ac celeritate incredibili, Surianum ante solis occasum pervenit; ubi Angelo Lomellino, qui præierat, rem totam exposuit; simulque ingentes Deo, ac B. Dominico laudes & grates egerunt; quibus actis, discessit, ac spirituali expletus gaudio, se recepit in patriam.

XXX. *Im-*

XXX. *Impurus muliebrium formarum in templo spectator, à Deo graviter plectitur.*

QVo tempore Cæsar Baronius, nondum Cardinalis, apud Patres Congregationis Oratorii audiendis confessionibus operam dabat, animadvertit, in Æde ejusdem Congregationis sacra, adolescentem nobilem, summa hominum cum offensione, & in gravem Dei contumeliam, hac illac sæpe vagari, ut mulierum formas contemplaretur: quem cùm sæpe, vultu & significatione, conatus esset absterrere, neque quidquam profecisset, tandem, quia in eo graviter Deus offendebatur, coactus est ad admonitiones objurgationesque descendere; ac primo blande hominem appellat, atque, ut incepto desistat, admonet; tum edocet, quantum sit flagitium, ædibus sacris, ad libidines suas, abuti, neque Dei conspectum vereri; postremo orat, ut facti pœnitens, Deum sibi propitium facere studeat, nisi ejus vim mallet experiri. at ille, cum deberet optimi sanctissimique viri objurgationibus aures dare, quæque sapienter admoneret, efficere, elatus iracundia, arrogantibus sane verbis, Quid ea res, inquit, ad te attinet, quid ego agam, vel non? abi sis, inquit, cum tua isthac insolentia, vel potius exi foras, inepte; jam tibi ostendam, quid periculi sit, honestis viris, mei similibus, velle præscribere, quemadmodum templis utantur. cui Cæsar, Pedem, inquit, hinc foras non efferam; meæ enim partes sunt confessionum audiendarum, non autem decertandi; sed Deus est, qui pugnat pro nobis. neque dicto fides abfuit; nam vix templi limen egressus, cum vellet equum conscendere, ab eodem excussus in terram, crus fregit; atque inter summos cruciatus, domum delatus, spretæ religionis admonitionisque à se pœnas repeti, non obscure, sed liquido comperit, ac paulo post P. Baronium ad se accitum, eundem ad novam vitæ rationem instituendam sibi magistrum adhibuit, &, quoad vixit, à confessionibus habuit.

XXXI. *Ad castitatem tutandam, nihil esse utilius, quam occasiones omnes devitare.*

CVi corporis animique mundicies cara est in primis, nihil agendum est prius, quam ut omnes peccandi illecebras occasionesque devitet. etenim adversus carnis insidias, ea vis in hoc uno est, ut nulla res ad vincendum plus possit. quo magis dictum illud viri sapientis omnium in animis esse debet, cum ejusmodi hoste Parthorum more esse decertandum, qui, fugiendo, hostem feriunt: & quemadmodum S. Philippus Nerius, solitus erat dicere, segniores, timidioresque, qui fuga salutem quærunt, sunt ad hoc bellum aptiores. tum quemadmodum in bello, omnia sunt in metu, neque quidquam contemnitur, quod vel tenuem suspicionis aditum præbeat, quod parvis sæpe momentis magnę rerum commutationes existant; ita etiam in hoc longe omnium periculosissimo bello, quæcunque occasiones formidandæ sunt, quæ hosti callidissimo ad nos opprimendos aditum muniant, quamvis remotissimæ sint, quamvis nunquam obfuturæ videantur. quam multa sæpe oppida, natura ac manu munita, tenui aditu aperto, in hostium potestatem pervenerunt! quoties munitissima castitatis præsidia, ex levi plerunque occasione, expugnata ac diruta legimus! Venit mihi hoc loco in mentem, quod P. Franciscus Rocca Soc. Iésu, quem habui à confessionibus, ut dixi, in hanc sententiam mihi narrabat; quod, quamquam vetus sit, quia plurimum ad rem facit, exponam. narrabat igitur, cujusdam cœnobii monachis, quibus Abbas præerat, vir sanctus ac prudens, decretum fuisse, mulierculæ cujusdam opera ad res domesticas uti. sapiens Abbas, qui recte nosset, quantum periculi, à mulierum quarumcumque consuetudine, animarum saluti oriretur, dabat operam sedulo, ut eam illis sententiam eriperet; sed nihil proficiebat. non enim poterant intelligere, castitati ipsorum, damnum esse aliquid metuendum, à muliere tam sordida, tamque deformi. quamobrem omissis verbis, id illis Abbas hoc artificio est conatus ostendere. die quodam, imperat coquo, ut obsoniis,

hiis, paulo liberalius, salem inspergat; qui fortasse etiam largius quam fuerat imperatum, indidit, ac salsissimum monachis prandium apposuit; quo confecto, jubet Abbas, cellæ vinariæ, ac præterea putei, sibi claves afferri, neque liquidi quidquam domi superesse, quod sitim extingueret, præter aquam, ubi coquus ollas, & cetera vasa culinaria lavisset, quæ posset, etiam siti enecto, stomachum movere; ac domo excedit, neque ante vesperam redit. Vix hora intercesserat ab eo prandio, quod comederant; cum omnes monachos tam ingens sitis arripuit, ut mori viderentur; cumque ad cellam vinariam, ad puteum, ad cœnationem accurrerent, atque omnia clausa invenirent, venerunt demum in culinam, ac sitis impatientia, cum aliud nihil suppeditaretur, aquam illam fœtidam, turbidam, sordibus plenam, avide in ventrem ingurgitarunt. vespere advenientem domum Abbatem monachi omnes circumsistunt, ac queruntur, se fuisse coactos, ad sordida culinæ purgamenta, sitim sedare. quibus Abbas, Quæ, inquit, vos causa impulit, ut eam hauriretis, si movebat stomachum? cui illi, inopia, ajunt; alia non erat. bene agitis, inquit Abbas, quoniam melior aqua non suppetebat, ad eam, quæ objecta est, sitim sedatum ivistis: ita etiam potest contingere, ut cum forma ac specie liberaliori mulier desit, eâ, cujus copia suppetat, libidinem expleatis. hac illi similitudine & oratione permoti, dant Abbati manus, neque sunt ausi deinceps mulieris cujusquam operam ad domesticos usus exposcere. Hæc bonus ille senex mihi narrabat; sed non venit mihi in mentem ab eo exquirere, quo esset ille Abbas nomine, & unde, quave ex historia id quod dixerat excepisset, ut ex eodem fonte, unde ille hausisset, ego quoque haurirem; sed nondum mihi erat in animo, hoc exemplorum volumen contexere; ideo nunc, uti ab eo illud accepi, ita refero; nec prætermittendum statui, quod potest esse aliis disciplinæ, ut peccandi occasiones quascunque removeant.

XXXII. *Rusticanus quidam, diras in Deum ac B. Virginem execrationes fundens, ex improviso de cælo tactus extinguitur.*

ERant in hoc homine, quem dicimus, omnia pecudi propiora, quam homini; neque quidquam Christiani, præter nudum nomen, habebat; immo non tam Deum vereri atque diligere, quam ludibrio odioque habere videbatur. siquidem, vel leviter ira commotus, vel aliquo detrimento accepto, diras in Deum ac B. Virginem preces execrationesque conjiciebat. hic cum in agro, quem excolendum acceperat, arborem conscendisset, videlicet ut fructus inde decerperet, subito exceptus est imbre; qui, more suo, cœpit impiis Deum vocibus execrari; neque, cum graviter corriperetur ab iis qui aderant, linguam cohibebat, sed acrius in Deum inflammabat: at cælum, tanquam si ferret indigne, eam à scelerato homine, conditori suo contumeliam inferri, extemplo intonuit, ac impium illum fulmine verberatum, mortuum ad terram abjecit.

XXXIII. *Vir quidam nobilis, pugione transfixus, S. Dominici ope, divinitus sanatur.*

QVantum nobis præsidii in Sanctorum ope auxilioque constituatur, demonstratum est nuper in patricio Ianuensi, cui inimici latus alterum pugione transfixerant. etenim, ex eo vulnere, in eum casum erat adductus, ut à medicis, desperare de salute sua juberetur; jamque propius aberat à morte, ac sacerdos evocatus fuerat, qui sacro eum oleo liniret. ferebat inique, eum sibi amicum eripi, Angelus Lomellinus, de quo sæpius commemoravimus; ac, pro sua eximia atque præstanti in B. Dominicum pietate ac religione, ex intimo animi sensu, amici salutem Sancto illi commendavit; qui non est passus, pii hominis vota, ardore caritatis incensa, in irritum cadere, sed laboranti præsens suum auxilium obtulit, atque è vestigio, admirantibus cunctis, vitam sanitatemque restituit.

XXXIV. *Egre-*

XXXIV. *Egregia Allobrogis cujusdam pietas religioque narratur.*

CÆsar Cardinalis Baronius, adversaria quædam, sua manu conscripta reliquit, in quæ multa, commemoratu digna, vel ad memoriam antiquitatis, vel ad studium eruditionis, relata cernuntur, collecta ex variis auctoribus, ac præsertim ex libris manuscriptis, bibliothecæ Vaticanæ, quos ipse perpetuo volutabat. in his adversariis traditur de singulari Allobrogis cujusdam pietate ac religione; quod quamvis longe superiori memoria contigerit, attamen, quia paucis, quod sciam, notum est, non piget huc referre. Narrat Baronius se scriptum invenisse, anno Domini M C C C, quando Bonifacius V I I I Pont. Max. jubilæum centesimo quoque anno, solemni ritu, Romæ celebrandum instituit, ex omnibus Christiani orbis partibus, infinitam pene hominum multitudinem, Romam confluxisse; in eis Allobrogem, de quo diximus, qui singulari pietate ac religione, sanctissima ac religiosissima urbis templa obivit; quibus adeundis colendisque, tanta perfusus est animi voluptate, lætitiaque, ut non exiguam cælestium voluptatum partem se percepisse existimaverit, ac fortasse, ea cælestis solatii vis, tanquam vitale pomum, prorogare illi vitam usque in centesimum annum potuit. nam vixit ad annum M C C C C, jubilæi item lætitia solemnem ac celebrem; sed quia, ætate ac morbo impeditus, neque ingredi, neque equo hærere poterat, inter filiorum manus delatus est Romam: atque eandem atque etiam majorem in se, spiritualem lætitiam atque solatium instaurari, quod ante centesimum annum hauserat, sensit, ac domum relatus, est mortuus.

XXXV. *Sanctos Dei, non verborum contumeliis esse prosequendos, sed honore cultuque afficiendos.*

CVm S. Philippus Nerius, Romæ corporis custodia solutus evolasset in cœlum, magnamque sanctitatis

suæ famam ad posteros reliquisset, primis illis diebus, ut fit, non alii ferme sermones conventusque, nisi de summis ac singularibus ejus virtutibus habebantur; omnes, qui eum noverant, in cœlum laudibus efferebant, ac palam sanctum affirmabant: verum in quodam amicorum conventu, quorum colloquiis ego quoque etiam tum adolescens intereram, cœpti sunt de viro sanctissimo varii sermones haberi; cumque me una cum frequenti populo, ad sacrum ejus corpus visendum, præsto fuisse narrarem, nulla de causa unus, qui in eo conventu erat, sacerdotii munere præditus, cœpit multas in eum & graves contumelias injicere, ac palam affirmare, nulla sibi ratione persuaderi posse, fuisse eum cœlo exceptum, ac sanctorum civium numero adscriptum; adeo ut omnes qui audirent, ceteroqui neque ita religiosi neque ita spirituales viri, graviter in eo offenderentur. vix pauci dies ab hoc sermone intercesserant, cum inter ipsum atque hominem ipsi amicissimum, qui cum ad eam diem conjunctissime vixerat, neque eum aliter quam in germani fratris loco dilexerat, ortæ sunt iræ, tam graves, tamque acerbæ, ut pluribus ab eo famosisque criminibus in judicium vocatus sit. quamobrem conjectus in vincula, biennium fere totum carceris angustias, tenebras, pedoremque sustinuit; postremo bonis omnibus amissis, quæ erant non parum multa, coactus est, ab urbe discedere.

XXXVI. *Aulicus quidam, in complexu meretriculæ, subita morte extinguitur.*

ANno salutis MDCXI, Cardinalis cujusdam Architriclinus, veteri amicitia mihi conjunctus, vir sane nobilis, & in speciem honestus ac pudens, propter ejus mores ab omnibus diligebatur. etenim nihil cuiquam nocebat, immo omnibus, quibuscunque rebus poterat, commodabat; nullum eidem verbum ex ore, quod magnopere reprehenderes, nullum obscœnum dictum exibat. hic, cum die quodam, à prandio, constituisset cum sociis rhedam inscendere, animique causa cele-

celebriores urbis partes obire, cumque jam omnes ad condictam horam venissent, ac vellent rhedæ se tradere, rogavit ille, ut manerent tantisper, dum reverteretur; esse sibi quoddam in ea vicinia negotium, cui primo præverti necesse esset; sed mox affuturum se, neque illis futurum in mora. sed paulo post adest nuncius, qui eum affert, in complexu cujusdam meritricis, diem suum obiisse. tum omnes exterriti, surgunt, in domum illius meritricis advolant, atque eundem humi, sine sensu fusum offendunt; quærunt ex ancilla, quid sit actum; quæ respondit, miserum illum in concubitu ipso defecisse, se omnia expertam, qnibus fugientem animam revocaret, sed frustra. illi attoniti inspiciunt, exhorrescunt, revertuntur; at nemo eorum, ejus atrocitate spectaculi compulsus, effectus est melior.

XXXVII. *Pessime sibi eos consulere, qui, metu inopiæ, à Domino Deo suo recedunt.*

SImilem vitæ exitum, non multis ab hinc annis, vidua quædam invenit, quæ magis inopiam & egestatem, quam Deum metuens, cœperat stupri consuetudinem habere cum nescio quo viro; nolens, ex Apostoli sententia, omnem solicitudinem suam projicere in Deum, quoniam ipsi est curæ de nobis. itaque die quodam cum amatore suo cubans, ex improviso mortem peccatorum pessimam obiit. nimirum ut esset ceteris exemplo, qui humanis præsidiis magis, quam divinis nituntur, quanta æterni Regis providentiæ injuria inferatur ab iis, qui soliciti sunt, animæ suæ, quid manducent, & corpori suo, quid induant, cùm eadem hæc tam magnifice ac liberaliter Deus volatilibus cœli, ac liliis agri, quæ non serunt nec metunt, neqne congregant in horrea, præbeat.

XXXVIII. *Duæ aliæ mulieres, quæ, quia divinæ providentiæ spem ab animo ejecerant, & in libidinibus collocarant, infelicem sortitæ sunt exitum.*

MVlier vidua, cujus vir decoxerat, desperans se posse vivere, filiam suam, virginem indotatam, viro cuidam principi, animi voluptatisque causa utendam dedit, ipsa vero alteri cuidam, corporis obsequio sese devinxit; sed paucis post annis, in contubernio, ac pene in complexu illius viri, repentina morte periit; tum filia, quæ dotis sibi comparandæ causa, viro illi principi tradita fuerat in concubinatum, ab eodem, sine dote, uni ex suis familiaribus collocata est in matrimonio. sed cum nihilo ea minus ille ad libidines suas uteretur, lethalem in morbum incidit; cujus vim diu sustinere non potuit, sed ferme jam moriens, cum adolescentulæ, quam amabat, minus à se prospectum esse intelligeret, mandavit marito illius, ut, quidquid auri in armariolo ibi proximo invenisset, acciperet, sibique haberet; sed jam cognati illius, ut fit in morte nobilium, ac fortasse istuc idem metuentes, totum abstulerant, ac domum suam averterant; quod ubi rescivit, ingemuit, atque in alteram lectuli spondam conversus, confestim animam efflavit. Narrat hæc mulier, (si fides istis habenda est) sæpe venire illum in somnis ad se mortuum, ac queri propter ipsam, male sibi apud inferos esse, multis de causis; primum, quod ipsi vitium obtulisset; tum quod, post oblatum sibi vitium, impedimento fuisset, quo minus viro locupleti nuberet, qui eam incolumem ab omni turpi facto servasset; postremo, quod propter ipsum, prope meritricium quæstum instituisset. Verum, ut ad id, de quo erat sermo, revertamur, hæc mulier, cujus pudicitiam mater prostituerat, quo dos ipsi inveniretur, primum una cum liberis octo, tum ex aliis, tum ex viro susceptis, sine dote, cum egestate & inopia conflictata est, nec fere quidquam ejus inopiam sublevavit vulgati corporis quæstus; denique, morbo capitis,

pitis, ex medicamento, quo fucatum capillis nitorem inducebat, contracto, in ipso ætatis flore decessit.

XXXIX. *Senis decrepiti, pecuniæ adipiscendæ causa, fratricidium.*

SI ullum est vitium, quod statim ab ineunte adolescentia, ab aditu cordis nostri propellendum sit, id profecto est crimen avaritiæ. nam si semel insederit; nulla humana ope à nobis evellitur. etenim libidinis ardor plerunque, ætatis deflexu, defervescit: at vero pecuniæ studium non modo annorum accessione non minuitur, sed vires ab annis acquirit, & interdum in immensum excrescit. atqui insatiabilis divitiarum sitis, illud est vitium, in quo, tum omnis ætas, tum senilis præsertim, fœde prolabitur; neque quidquam veterum comœdiis tam exagitatur, quam senum avaritia; neque ulla est historia, quæ non plura & illustria ejus rei exempla suppeditet. sed qui, decurso ætatis spatio, pecuniæ gratia tam atrox facinus susceperit, quam quod modo decrepitus & capularis quidam senex est ausus committere, nusquam me audivisse vel legisse; quod meminerim, scio. In actis, quæ octavo quoque die circumferuntur, anno MDCXXXIV, mense Augusto, legimus, Ianuæ in vincula publica senem esse conjectum, annos natum non minus septuaginta, qui fratris bonis inhians, eundem veneno sustulerat, tanquam si tum primum, ad decurrendum vitæ spacium, è carceribus, ut ita dicam, exiret, & non jam ad calcem pervenisset. etenim eo consilio tantum in se scelus conceperat, quo mollius ac lautius vitam exigeret. huic stulto comico seni persuasum fuisse arbitror, ad Mathusalæ annos se esse perventurum. quod nobis argumento esse debet, ut ad extremum usque spiritum à Dei ope auxilioque dependeamus. nam si ex nostris nos viribus metiri velimus, nullum erit flagitium tam fœdum, nullum facinus tam atrox, tam audax, quod alienum à nobis sit futurum.

XL. *Infelix libidinosi cujusdam aulici exitus.*

VEnio ad illud, quod me, supra quam dici aut cogitari potest, horrore metuque complevit. Erat aulicus alter, in sortem Domini receptus, multisque ecclesiasticis reditibus abundans. hic, jam inde ab adolescentia, libidinibus deditus, ad hoc longa mulieris cujusdam consuetudine implicatus, nulla divinæ severitatis formidine, nulla salutis æternæ cura, contineri videbatur: verum cum in hac prava vitæ ratione perseveraret, horribili atque perpetua à Deo cæcitate percussus est, ut nihil plane oculis uteretur. quæ cæcitas, cum deberet illi mentis oculos aperire, omnemque ab animo peccatorum caliginem pellere, visa est tenebras eidem majores offundere, nec tam miseri istius peccatoris oculos claudere, quam cor excæcare. nam adeo, ab ea muliere, cui consueverat, non est abstractus, ut etiam arctius eidem adhæserit. in pauca ut conferam, hæc tam pertinax hominis contumacia, divinæ iracundiæ quasdam quasi faces admovit, justamque sibi illatæ à flagitioso illo injuriæ vindicandæ causam attribuit. etenim anno MDCXXXII, solemnibus sacrosanctæ Eucharistiæ feriis, cum, per viam quandam urbis, rheda veheretur, atque in solemnem quandam pompam incurreret, qua Christi corporis mysteria deferebantur, admonitus est à suis, ut consisteret, & in genua procumberet; cumque ille, ad has voces, honoris scilicet causa, caput demitteret, continuo, tanquam si à divinissima illa hostia telum vel fulmen aliquod prodiisset, quod lethale ipsi vulnus infligeret, ita ut erat, capite demisso, extremum vitæ spiritum reddidit: utrum autem Deo judici salvus fuerit, nec ne, non definio, neque ullam in partem disputo. Ea enim esse mors potuit, cum eo animi dolore conjuncta, qui sit ad veniam impetrandam satis: at si dolor hic abfuit, *pensate*, inquit Gregorius, *qualis ad conspectum districti judicis pervenit, cui non vacat flere quod fecit.*

XLI. *An-*

XLI. *Antea, quam Deus flagellis nos feriat, admonet, ut caveamus.*

CVm Deus peccatis ac sceleribus nostris infensus est, quæ publice in populos ac nationes flagella immissurus est, solet, vel monstris prodigiisque, vel prophetarum vocibus aliquanto ante prædicere, quo ad pœnitentiæ præsidia confugiamus, quibus probe muniti, ea à nobis mala propulsemus. id quod Fossani, in subalpinis, paulo supra hanc memoriam accidit. Erat in ejus oppidi agro, anno MDXXI, non procul ab Vrbe, pastor quidam, oppidanis omnibus notus, jam inde usque ab ortu mutus; huic B. Virgo se obtulit, præcepitque, ut ad Fossanenses abiret, suisque eos verbis admoneret, ut vitam moresque corrigerent, nisi mallent experiri, quid divinæ justitiæ vis possit; & quo fides ejus dictis fieret, fandi usum, quo adhuc caruisset, ipsi tribuere: abiit ille, ex adepta loquendi facultate lætus, remque ad Fossanenses retulit; qui rei novitate percussi, paulu-lum quidem meliores sunt facti, sed brevi ad ingenium redierunt. verum quod incidit illis mali; non vanam fuisse pastoris illius prædictionem, ostendit. etenim tanta eos pestilentiæ adorta vis est, ut ab eadem prope deleti, neglectæ admonitionis pœnas penderint. sed postea Fossanenses, quos ea clades reliquos fecerat, eo in loco, ubi mutus ille loqui divinitus cœperat, Ædem B. Virgini sacram excitarunt.

XLII. *Turcæ, ad Christum conversi, mira in retinenda fide constantia.*

P Iuvenalis Ancina, Congregationis Oratorii, qui, Saluciarum Episcopus, tanta cum laude sanctitatis, eam provinciam administravit, ut de eo inter Sanctos referendos agatur, narrat, se de Roberto Bellarmino, qui Romæ anno MDLXXXII, in Collegio Soc. Iesu Theologiam docebat, audivisse, cum diceret, Constantinopoli, summum quendam Turcarum imperatoris Prætorem, lecto Euangelio, ad Christi fidem conversum,

verſum, palamque Mahumetanam ſuperſtitionem deteſtatum eſſe, dixiſſeque, ſolam Chriſtianam religionem veram eſſe, reliquas ſectas falſas atque mendaces. quamobrem Turcarum imperatorem iratum, juſſiſſe eum interfici, & inhumatum canibus objici; ſed canibus, ſanctum inviolatumque extitiſſe, neque eorum quemquam eſſe auſum ad illum accedere; ad hoc, novo quodam lumine circumfuſum cœpiſſe fulgere; verum eam rem, tam novam tamque admirabilem, impio Turcarum Principi, non oſtentui & admirationi, ſed ludibrio fuiſſe; qui, non eſſe mirandum, ait, ſi ab eo canes abſtinuiſſent, nam, ut eſt in proverbio, *canes canibus non veſcuntur*, (hoc enim nomine Turcæ Chriſtianos appellant;) itaque juſſiſſe eum, ajebat, ſectum in fruſta, canibus iterum dari; ſed nihilo magis canes eſſe auſos attingere; illud quoque mirabiliter eveniſſe, ut ſplendor ille, qui totum corpus illuminabat, plures poſtea in partes ſciſſum atque diſtractum non deſereret, ſed pro numero partium divideretur, adeo ut earum ſingulis ſingulæ tanquam faces hærere viderentur.

XLIII. *Adoleſcentis libibinoſi pudenda, ejus in morte, tetro comprehenſa igni, ardere conſpiciuntur.*

ANno MDCI, adoleſcens quidam impurus, qui longa conſuetudine impudicæ cuidam implicabatur, incidit in morbum; quo cum gravius conflictaretur, perſuaſus eſt ab amicis, vel potius coactus, ut peccata ſua ſacerdoti confiteretur; quod fecit, magis id adeo, ut amicis gratificaretur, quibus id gratiſſimum fore videbat, quam quod aliquo animi dolore, ex injuriis Deo factis, afficeretur; id quod eventus oſtendit. nam cum à Patribus miniſtris infirmorum admoneretur, ut dulciſſimum Ieſu Chriſti nomen frequenter in ore haberet, atque ea tantum loqueretur, quæ æternæ ipſius ſaluti expedirent, non obtemperabat, atque ægre eorum monita accipiebat. interim parens, filii viſendi cauſa, cubiculum, ubi ille decumbebat, ingreditur, atque illum

miſerum

miserum terribili pavore perfusum offendit; quem fortasse horribilis dæmonum aspectus excitabat; præterea, horrendum dictu, tetro pudenda ejusdem igne uri conspexit, neque ita multo post, in eo dolore cruciatuque, desperantem rebus suis mortem obire.

XLIV. *Duos quosdam adolescentulos, gravissimè peccantes, ignis exurit.*

QVod omnis luxuries, sed ea inprimis, quæ naturæ ipsi adversatur atque repugnat, ignis supplicio coercenda sit, anno MDLXXXIII, in duobus adolescentulis Deus ostendit; qui cum vetito commercio una corpus animumque contaminarent, subitò horribilique igne, qui ex eorum corporibus obscurus ac teter afflabat, arrepti, ita ut erant juncti, eatenus exarserunt, quoad in cinerem sunt redacti. itaque in duobus impuris adolescentibus, longo intervallo, renovatum est illud, in Sodomam & Gomorram, divinæ animadversionis exemplum. hoc ex P. Io. Matthæo Ancina, P. Io. Iuvenalis Ancinæ fratre, accepimus.

XLV. *Vir atque puella, simul concumbentes, repentina morte tolluntur.*

SCriptum est in sacris litteris, Deum, non patientiæ solum, verum etiam justitiæ ac fortitudinis laude præstare; quo fit, ut quos diu sustinuit, interdum subita, ut Gregorius inquit, morte castiget; sicut aliquot ante annos in viro, atque in puella, quæ præter æquum obsequentior illi erat, vim suam exercuit. Parentes quidam, ut opinor, pauperculi, mittebant quotidie filiam suam ad virum, cui nullus erat servus, ut res illius domesticas procuraret; nimirum ædes verreret, vasa elueret, lectos sterneret, atque ejusmodi aliis in rebus eidem operam daret: verum accidit, ut ea sæpius adeundo, & consuetudine familiari, ac munusculis fortasse devicta, viro illi, contra quam fas erat, morigera fieret. quamobrem die quodam, cum ex solito in opus

ad eum exiſſet, jamque nox appeteret, nec reverteretur, parentes ſuſpicari cœperunt, mali aliquid filiæ eveniſſe, vel ab eo, cui navabat operam, moram objici, ne rediret. itaque ad ædes illius veniunt, fores pulſant, nec cum quiſquam aperiret, aut reſponderet, capiunt conſilium, ut ad prætorem eant, & quod ipſorum filia ab eo viro non remittatur, ſed ingratiis retineatur, exponant. veniunt, querimonias ac poſtulata ſua edunt; Prætor imperat lictoribus, ut per vim in domum illius irrumpant, ab eoque puellam abducant; qui, ut erat imperatum, fores effringunt, intrant, atque (horrendum dictu) mutuis ambos amplexibus illigatos, ac ſine ſenſu jacentes offendunt. Angelus enim Domini, ut credibile eſt, eos percuſſerat, ac morti tradiderat, atque hanc filiæ ad ſe non remittendæ cauſam fuiſſe comperiunt; & ſero intelligunt, quam tuto fœminæ viris committantur, quorum illis etiam ſermo, atque adeo halitus ipſe, ſit pertimeſcendus.

XLVI. *Horribilis cujuſdam mors, qui fœminam rurſus ad flagitium, cujus ipſam pœnituerat, conabatur adducere.*

Vir quidam improbus, & impurus, blandiciis, precibus, partim etiam inſidiis, firmum quoddam atque munitum pudicitiæ præſidium ceperat, hoc eſt, probæ atque pudicæ mulieris caſtitatem expugnaverat; at poſtea illa facti pœnitens, cum per Sacramentum pœnitentiæ rediiſſet cum Deo in gratiam, decreverat millies antea mori, quam pati quantumvis minimam caſtitati ſuæ labem afferri. quod ille ægre ferens, dolenſque, tantum ſibi bolum eſſe ereptum e faucibus, omnes induſtriæ ſuæ nervos, in eo contendebat, ut ſanctum illud mulieris propoſitum labefactaret, atque convelleret, rurſuſque una ſecum in idem lutum attraheret. ſed operam ſumebat inanem; nam illa ad omnes ejus conatus, tanquam murus æreus erat. Verum ille, vetitæ mulieris deſiderio acrius incenſus, quemadmodum ſuæ eum libidines facere admonuerant, dando pollicendoque perficit,

fecit, ut ab ancilla in mulieris cubiculum includeretur. sperabat enim, si solam adortus esset, eam se in suam sententiam perducturum. interim revertitur illa è templo, ubi orationi ac piis aliis exercitationibus tota se dederat; cumque intro in cubiculum pedem inferret, objectus est sibi impurissimus ille; cujus aspectu vehementer exterrita, tanquam altera Susanna ingemuit, ac manibus & oculis in cælum sublatis, suppliciter à Deo opem expetiit. non defuit supplicanti ex animo Deus, sed statim in precibus & votis occurrit. nam repente canis ingens atque atra præsto fuit; quæ, impetu facto, homini in os involavit, caputque præcidit. itaque fuit omnibus exemplo, qui studiosos castitatis à proposito deterrere conantur. Id mihi idem Io. Matthæus narravit.

XLVII. *Tres adolescentes, qui ierant, ut pudicitiæ S. Tuscanæ vim afferrent, à dæmone strangulantur.*

SImili prope animadversionis genere usus est Deus, ad coërcendam adolescentium quorundam audaciam, qui pudicitiam Sanctæ Tuscanæ labefactare per vim conati erant. hæc mulier forma vultuque, supra quam dici potest, eleganti atque venusto, viro suo orbata, facultates omnes in usus pauperum erogaverat, ac totam se jejuniis, vigiliis precationibusque tradiderat. verum eximia ejus pulchritudine, secus quam par est, delectati tres adolescentes, statuerant omnia conari, quo potiri eadem possent. itaque collem, in quem illa, orandi causa, Deoque liberius inserviendi, secesserat, ex compacto petentes, eorum unus, ceteris juvenili licentia ferocior, parietes domus repens inscendit, ac per fenestras in cubiculum mulieris, in attentissima divinarum rerum meditatione defixæ, se se demisit. sed cum vellet in ejus complexum irruere, à dæmone cohibitus ac strangulatus est; idemque aliis duobus, qui frustra sociorum reditu expectato, deinceps ad mulierem irruperant, accidit.

XLVIII. *Non esse, in rebus adversis, de Deo desperandum, nec ad dæmonem confugiendum.*

ALiqui sæpennumero, ita fracto abjectoque sunt animo, ita ab omni fiducia divinæ in se bonitatis misericordiæque deserti, ut quovis affecti vel damno vel dolore, vel contumelia, dæmonem evocent, ac disertis verbis sui corripiendi abstrahendique potestatem permittant. quod nullo ab eis consilio factum apparet. utrum enim existimant, vel eos dæmonem abducturum, ubi ex miseriis erepti, solutiore animo vivant, an ubi, secretis bonis omnibus, cumulata malorum omnium complexione excipiantur? utrumvis horum arbitrentur, constat eos insanire, planeque desipere. quid enim est tam stultum, quam putare, posse boni aliquid provenire cuiquam ab eo, qui capitali à nobis odio dissideat, ac perpetuas nobiscum simultates exerceat? quid autem tam à ratione alienum, quam, quo breve ac leve aliquod malum effugiatur, velle in summam & æternam calamitatem miseriamque demergi? Illi vero, longo intervallo, omnium furiosorum dementiam antecedunt, quibus cum præsto sit Deus, qui ultro suum auxilium polliceatur, quique de ærumnoso & calamitoso homine dicat, *clamabit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum*, ad illum potius se convertunt, qui nec possit nec velit ipsis opem afferre, sed contra, mala & adversa evenire omnia cupiat. Nondum quatuor & triginta sunt anni, cum Romæ erat mulier; ea habitabat ad D. Blasii & Caroli; ejus mulieris vir, propter æs alienum, vinculis publicis detinebatur. itaque illa perpetuò domi in squalore luctuque manebat, una cum filio, quem unicum ex illo susceperat; à quo cum, die quodam, ut mos est puerorum, ingens clamor ac luctus esset sublatus, neque ullus flendi modus fieret, illa, seu impatientia seu mœrore quo intus macerabatur adducta, heus diabole, inquit, quid moraris? quin venis, & odium

istud

istud abripis ac tecum adducis? vix ea dixerat, cum humani generis hostis adfuit, atque mulieri in conspectum se dedit, sed cum conaretur in puerum manus injicere, non tulit illa, sed, clamore sublato, Dei genitricis fidem imploravit. at dæmon, Mariæ nomine audito, à puero manus abstinuit, & confestim fugam arripuit.

XLIX. *Meritricis, impudentissimæ protervitatis, palam corripiendæ gratia, complures honesti viri publice plectuntur.*

CIrcumforaneus, omnibus notus, cum singula Italiæ fora perlustraret; venit in urbem, quam non est necesse nominare; atque una secum mima, facie quidem honesta & ætate integra, sed lasciva, procax, proterva, luxuque perdita; cum hac cœpit quotidie suggestum in medio foro, ab ipso excitatum, ascendere, atque improbissimos sermones habere. quamobrem tanti ad eos, adolescentium præsertim, concursus fiebant, ut mirum videretur; quod eveniebat non sine maxima castitatis eorundem pernicie, & summa proborum hominum offensione, qui ferebant indigne, tam insignem Deo contumeliam imponi, & mores civitatis, unius meritricis protervitate, corrumpi; tantumque justus hic dolor, in eorum animis potuit, ut statuerint, illecebram illam voluptatis ac libidinis, quantum in ipsis esset, ab adolescentium peste repellere, atque eam populi frequentiam circulatori illi surripere. res non procrastinatur, sed illo eodem die perficitur. erat proximum foro sacellum Sodalitatis cujusdam, cui præfecti nomine præerat vir, ex ea civitate, in primis nobilis ac timens Deum. itaque, ejus opera, coiere honesti viri complures, quibus æque spectaculum illud displicebat; ibique instruxere agmen se verberantium; qui, Christi crucifixi imagine præeunte, forum illud sæpius circumiere; quorum aspectu commoti, qui aderant, compuncti sunt corde, atque è vestigio dilapsi, circulatorem cum muliere solum reliquerunt;

qui à corona relicti, coacti sunt domum inanes à pecunia redire. res accepta est aliter, quam putabatur, ab iis, qui eam tum Remp. administrabant; nam visum est illis facinus audax & animadversione dignum, paucos privato consilio, esse ausos è foro, ac propemodum ex urbe, eos expellere, qui ipsorum auctoritate atque concessu suggestum illud inscenderent, ac populum fabellis oblectarent. quocirca probos illos homines ac domi nobiles, pecunia multatos, reductis ad tergum manibus, tractorio funi, qui est in foro, singulos deinceps alligari jusserunt, ac ter unumquemque eorum in sublime raptum, totidem vicibus sini deorsum suomet pondere ruere; sacerdotem vero illum, in quem nihil juris habere poterant, in exilium ejecerunt. itaque tot viri, genere ac pietate præstantes, non aliam ob caussam nisi ob Dei gloriam, & ad removendum è civium suorum conspectu pessimum exemplum, affecti sunt damno & ignominia. neque impurus ille circulator, qui tantum illis mali creaverat, divinæ in se animadversionis pœnam effugit. nam paucis ab eo die, annis an mensibus? diem obiit supremum, in ipso ætatis flore. etenim, nisi memoria me fugit, vix quartum & vigesimum ætatis suæ annum excesserat. sed, quod est longe morte ipsa deterius, verendum est maxime, ne in eorum numerum rejectus sit, quibus Salvator noster dixit, *moriemini in peccato vestro.* nam tum est mortuus, cum in alia Italiæ civitate, eodem spectaculi genere, juventutem ad nequitiam adducere conaretur.

L. *Vetus exemplum, superiori simile.*

Libuit huc adjicere aliud vetus exemplum, superiori haud ita multum absimile. Qua tempestate Respub. Florentinorum à populo tenebatur, ejusque auctoritate consilioque administrabatur, B. Bernardinus Feltrius, magna tum temporis, apud omnes, sanctitatis doctrinæque fama ac nomine, Florentiam venit; ubi frequentes atque utiles ad populum, de rebus divinis, sermones habebat, in quibus corruptos ejus sæculi hominum mores acriter vehementerque objurgabat, & in primis, quod

quod Iudæis nimis familiariter uterentur; & sumpta inde occasione, eorum fraudes, dolos, perfidiam, & acerbum in Christianos odium aperiebat; qua oratione commoti, qui aderant, cœperunt eos palam lapidibus insectari. res acta est in senatu; inventus est nemo, qui non existimaret, concionatorem illum, tanquam commotæ multitudinis auctorem, ejiciendum è civitate; præter unum, qui non solum non ejiciendum, verum etiam maximis eum præmiis retinendum arbitrabatur. quamobrem iniquorum illorum sententiis pulsus Florentia, sanctitatis doctrinæque suæ lumen ad alios transtulit: verum illi ipsi ejus ejiciendi auctores haud diuturniorem à Deo tanti facinoris impunitatem sunt assecuti. etenim, non ita multo post, omnes sunt mortui, præter eum, qui ab ipsorum auctoritate dissenserat.

LI. *Adolescens, in complexu amiculæ, à rivali confoditur.*

EXtremo Clementis VIII pontificatus anno, à Christo autem nato MDCIV, erat Romæ forma liberali mulier, quam parentes honesto cuidam viro, cui agricultura vita erat, in matrimonio collocaverant; qui vir, quoniam arationes multas conductas habebat, maximam anni partem cogebatur ruri esse, & uxorem, sub unius ancillæ custodia, Romæ relinquere; quod quidem haud è re mulieris adolescentis erat, cui ægre erat, viro carere. atque forma & ætate ferox, non invita suam ab iis formam spectari ac diligi patiebatur, qui ejus erant cupidi. quo fiebat, ut istos mundulos urbanos amasios circa se plures haberet; è quibus unus præ ceteris elegans, ac domi nobilis, in ea vehementius exarserat; sed quia disciplina est ejusdem, ut Terentianus inquit Clitipho, munerarier ancillas primum, ad dominas qui affectant viam, perfecerat cum ea, quam vir uxori custodem apposuerat, ut nemo eidem carior ac jucundior existeret: hæc mulierem, satis sua ad id sponte propensam, ad gerendum adolescenti morem impulerat; nam cum ab ea primum extorsisset, ut fatere-

 tur,

tur, ſe cum eo, qui ipſam deperibat, mutuum facere, cœpit eam hortari, ne occaſionem tam bellam ſe oble-ctandi dimitteret; non enim eandem perpetuo dari, neque illam ſibi ſemper ætatulam fore; ſuamque, eam ad rem, operam pollicita eſt. mulier conditionem accepit, & clam viro cœpit cum adoleſcente illo ſtupri conſuetudinem habere. verum fere perpetua viri abſentia, & cognatorum negligentia, factum eſt, ut ædes mulieris non minus adoleſcenti paterent, quam ſi domus ipſius eſſent. nam ubi lubebat, ad eam introire licebat. erat adoleſcenti ſobrinus, forma, ætate, nobilitate prope eidem geminus, atque ſimillimus; & tanquam minus grata atque jucunda ſit ea voluptas, quæ ſine teſte percipitur, ſuorum amorum participem eum fecit, & mulieris forma, quam in cælum laudibus efferebat, quanta eſſet edocuit, ſimulque daturum ſe operam ſpopondit, ut ea pulchritudo ejus ad oculos perveniret: verum petere ab eo, pro ſua fide atque amicitia, ne ubi mulierem aſpexiſſet, animum ad eam adjiceret; ſe enim tantam in ſe injuriam non eſſe laturum. perducit igitur hominem ad illam, non ſemel tantum, ſed iterum, tertio, ac ſæpius. at bonus ille conſobrinus, ab hoc aditu januaque patefacta, ad mulieris amicitiam, ſibi viam munivit; atque oblitus fidei, quam dederat; perfecit, ut ab eadem in ſocietatem flagitii reciperetur. mulieris igitur conſuetudinem adeptus, in ea ſe continebat, neque ejus iracundiam verebatur, cui conceptis verbis juraverat, nihil ſibi rei cum illa futurum. verum, die quodam, cum mulieri operam daret, atque oblitus eſſet peſſulum oſtio obdere, venit ille alter, januam aperit, ſcalas ſcandit, cubiculum intrat, ac manifeſtum flagitii eum, cui juranti crediderat, tenet. non tenuit iram neque dolorem, ſed, educto gladio, in eum irruit, & averſum in ſinu amicæ tranfixit; tum foras ſe præcipitavit ex ædibus, ac ſalutem fuga quæſivit. mulieri, rei atrocitate perterritæ, pene animus evolavit è corpore, nec cum ſatis liqueret, quid ageret, fuit auctor ancilla, ut in cella vinaria, interfecti corpus humarent; quod, de ejus conſilio, perfectum eſt. poſtridie ejus diei, res ad prætorem defertur; mittuntur eo lictores, qui continuo ad cellam vina-

vinariam accurrunt, mortuum defodiunt, adhibitis testibus inſpiciunt, mulieres in publica vincula rapiunt: habetur de illis quæſtio, non eunt inficias, ſed rem totam, ita uti geſta erat, enarrant. atque ejuſmodi ea res habuit exitum, ut ancilla, quæ ſuis conſiliis dominam in flagitium illexerat, quæque ejus mortui ſepeliendi auctor fuerat, tota urbe flagellis cæderetur, domina vero, eorum principum honoris gratia, qui eam defenderant, è reis eximeretur: ſed non ita multo poſt, viro, animi morbo, è vita ſublato, laxam mundi viam deſeruit, atque arctam religioſarum quarundam mulierum amplexa eſt vitam.

LII. *Novum divinæ juſtitiæ exemplum, in mulierem perditæ libidinis editum.*

ANtea quam Tridentinæ Synodi decreta promulgarentur, quibus eccleſiaſtica diſciplina pene collapſa reſtituebatur, erat Romæ liberior vivendi poteſtas, adeo ut ſacrarum Deo virginum familiæ, domi ſuæ clauſtris perpetuo incluſæ non tenerentur, ſed egrediendi, & quo vellent abeundi facultatem haberent. in hac igitur tam corrupta vivendi ratione, virgo quædam, honeſtis orta parentibus, quæ quidvis potius, quam caſtam & religioſam vitam meditabatur, parentum imperiis coacta & egeſtate, uni ex illis familiis nomen dederat; ſed brevi, deſertis ſuis caſtris ad juvenem, qui erat cupiens ſui, transfugit; ex cujus congreſſu concepit, ac puerum peperit. quamobrem compulſi ſunt parentes ejus, nuptui eam tradere, ſed ita Deo uſi ſunt propitio, ut piſtori cuidam ſatis locupleti collocarint. ſed non eſt inventa melior nupta, quam virgo fuerat. nam amore cujuſdam capta, cœpit pecunia virum exuere, ex eaque amatoris ſui ſumtibus ſuppeditare; quo factum eſt, ut illum brevi ad egeſtatem adegerit, atque in eas rei familiaris anguſtias adduxerit, ut cogeretur ipſam deſerere, atque operas ſuas alteri piſtori locare. at mulier, mariti moleſtia liberata, ſolutiore animo, ſuis libidinibus obtemperabat. verum aliquanto poſt vir,

partim ex pecuniis, ex operarum suarum mercede redactis, partim ex iis, quas ab amicis mutuas sumpserat, novam tabernam aperuit, atque, ut erat industrius ac diligens, dissoluto ære alieno, jam cœperat esse in suis nummis ac multis; cum uxor, quæ, ab omnibus deserta, egestate & inopia laborabat, egit per amicos & religiosos viros interpretes, ut pacem cum viro faceret; se enim quovis ille vellet, descensuram; sed nihil proficiebat. etenim erat illi statutum ac fixum, nunquam eam domum reducere; sed cum amici pertinacius contenderent, expugnatus tandem, mutavit sententiam, & statuit cum ipsa redire in gratiam. sed ne tum quidem inventa est sui dissimilis. nam cum ab eo omnibus in rebus commode ac liberaliter haberetur, cœpit rursus viri sui bene parta non solum indiligenter tutari, verum etiam per luxuriam effundere, adeo ut, paucis mensibus nihil fere illi reliqui fecerit, ac vim imposuerit, ut operis suis locandis victum quæritaret. sed mox debita eam pœna consecuta est. nam cum in morbum gravem incidisset, neque esset, unde curaretur, delata est in nosocomium S. Ioannis in Laterano, ubi per aliquot dies defixa lectulo jacuit; sed cum tandem ex eo morbo convaluisset, & infirmis etiam tum viribus bacillo innixa domum suam reverteretur, via sacra, ab una ex iis buculis, quæ ibi venales habentur, expetita est, & in æde Sanctorum Cosmæ & Damiani, quo tanquam in aram confugerat, ante quam quisquam posset obsistere, multis vulneribus confossa, exanimis relicta. atque hunc mulier flagitiosissima, dignum moribus factisque suis, exitum vitæ invenit.

LIII. *Ægrotus quidam, ad extremum casum perductus, non potest adduci, ut concubinam ejiciat.*

AVdivi ipsemet, etiam tum juvenis, in Æde D. Augustini concionatorem ex eadem familia, virum doctum ac pium, qui de loco superiore narrabat, se paucis diebus ante, celebri quadam urbis via euntem, de se-

de fenestra cujusdam domus magnopere fuisse evocatum, rogatumque ut ascenderet, quo morienti cuidam, extremo illo tempore, ad salutem animæ, opem afferret, accurrisse eum subito, invenisseque virum in lecto cubantem; cui, graviter ægrotanti, mulier aderat concubina, & egregiam omnibus in rebus operam navabat. nec mora, ejus confessionem excepisse, & cum comperisset, quid ea ad illum mulier attineret, admonuisse eum graviter, atque etiam, pro potestate quam gereret, præcepisse eidem, ut si Deo salvus esse vellet, illam statim mulierem domo, quantum potest, ejiceret; sed respondisse eum ajebat, se nunquam commissurum, ut mulieri optime de se meritæ eam gratiam referret, ut, ex improviso, nihil minus expectantem, foras ejiceret, præsertim, ut cum maxime ejus opera indigeret: etenim habere se neminem neque cognatum neque amicum, cui suam salutem ac vitam posset tuto committere, præter eam, cujus operam utilem atque fidelem, multis in rebus, esset expertus. quo audito, petiisse ajebat, ut saltem conceptis verbis juraret, simul ac convaluisset, se nuncium remissurum mulieri, nec quidquam sibi amplius rei cum illa futurum. ad hæc respondisse illum, se nihil posse in præsentia promittere, verum ubi amissam valetudinem recuperasset, de ea re serio deliberaturum, illudque consilium sibi capturum, quod magis in rem suam esse videretur. tum vero ipsum, desperata hominis salute, tristem abiisse, sed statim revocatum, hilarem rediisse, summa spe præditum, quod Deus meliorem homini mentem injecisset; sed frustra. nam sine mente, ac sine sensu, exhalantem eum animam offendisse. cui mulier illa cereum lucebat, fortasse, ut properanti ad inferos, atque ad æterna supplicia, in tenebricoso illo itinere, lumen non deesset.

LIV. *Qui castitatem sartam tectam habere postulat, debere eum oculos in primis abstinentes habere.*

NOvi ego, tanquam me, hominem, qui etiam nunc vivit, qui beatam vitam, non animi, vel corporis, aut externis bonis definiret, sed ex Mimnerni sententia, in amore jocisque positam esse arbitraretur. itaque, ut olim D. Augustinus in confessionibus suis de se fatetur, ita ille nihil præstantius, nihil optabilius, nihil jucundius existimabat; quam amare & amari; cumque de aliquo audiret, quod misere amaretur, discruciabatur animi, non posse idem sibi contingere. ne multis morer, sine amoribus nullam esse vitam existimabat. verum resipuit aliquando, & ad bonam, ut dicitur, frugem se recepit, sic, ut omnes ejusmodi cogitationes prorsus abjiceret, neque alios amores meditaretur, nisi cælestes atque divinos; in quo vitæ genere, usque ad senectutem se continuit. sed cum omnibus periculis se esse perfunctum existimaret, commigravit illuc viciniæ ubi habitabat mulier vidua; quam primo contempsit, nullas inde castitati suæ insidias metuens; sed postea, miser, fuit omnibus exemplo, quantum referat, oculos habere abstinentes, neque illud aspicere, quod non liceat concupiscere. nam cum attentius eam semel aspexisset, atque illa, salutatione amicissima, eum in se oculorum obtutum excepisset, sensit ipse, se vehementer commoveri; sed facile eum animi motum, assidua resistendi consuetudine usuque, cohibuit. sed quoniam mulieris deinceps colendæ quadam quasi necessitate se esse devinctum arbitrabatur, salutando resalutandoque assecutus est, ut primo tacito quodam amore corriperetur, tum totus ab eodem corriperetur, postremo, quod sine lacrimis commemorari non potest, in ea muliere turpiter laberetur. sed postea cogitans, quantum flagitii admisisset, vim lacrimarum effudit; cumque conaretur, ex iis sese laqueis eximere, operam perdidit. nam mulier ferox atque impotens, sæpe vi in ejus domum irrumpit, ipsoque invito ac repugnante, apud ipsum versatur,

tur, cœnat, dormit, ac, ſive utilitate, quam ab eo percipit, ducta, ſive quod ægre ferat, ſe contemni ac deſpici, ſive quod mulier paupercula hominis locupletis nuptias aucupetur, ſimulat ſe ejus amore differri, ac metuere, ne altera eum mulier ſibi præripiat; & facit prope plura iis, quæ amant ex animo. ille, quamquam Dei amore metuque, eam peccandi illecebram deteſtetur, atque horreat, attamen, tam propinqua occaſione, tanquam vallo circumdatus, queritur, flet, ingemiſcit, Dei opem implorat, crebro in hæc verba prorumpit, Miſerere mei Domine, adjuva me Domine, ne obliviſcaris, neque repellas in finem, quam diu iratus erit ſuper me furor tuus? quamdiu extenta ſuper me manus tua? ac pro certo exiſtimat, deteſtabilem eam cupiditatem, qua olim adoleſcens flagrabat, nimirum ut mulierem aliquam ejus ſemper lateri hærentem haberet, hac pœna ſupplicioque conſtringi.

LV. *Alterum, de incontinentia oculorum, ſimile ſuperioris, exemplum.*

IN eandem prope calamitatem, ex incontinentia oculorum, incidit alter, qui uſque eo caſtitatis erat amator, ut ne verbum quidem ferre poſſet, quod obſcœnitatis ſuſpicionem haberet. hic cum, die quodam, rheda ad Ædem D. Ioannis in Laterano veheretur, incurrit in plauſtrum; quamobrem coactus eſt paululum ſubſiſtere. hoc intervallo contigit, ut oculos ad feneſtram cujuſdam domus attolleret, ubi forma luculenta mulier hærebat; & cum deberet oculos revocare, &, quam vidiſſet, à memoria repellere, horum omnium oblitus, primum altius oculos in ea defixit, ac diutius quam par erat detinuit; tum ejus imaginem non ſolum ab animo non abſtergendam, verum etiam in eo imprimendam defigendamque curavit. quod mulier animadvertens, ore, oculis, vultu, aliiſque benevolentis animi ſignificationibus, ad intimos ejus cordis receſſus penetrare, ac totis viſceribus hærere contendit. id quod illi contigit ex ſententia, etenim ille indiligens, nec ſatis paratus ad caven-

cavendum, hamum voravit, ac mulieris imaginem, nisi postea multis cum lacrimis doloribusque delendam, animo infixam, attulit domum. itaque postridie, perendie, atque aliis deinceps diebus reversus est eo, quo trahebatur, semperque mulierem in fenestra, ipsi operam dantem, offendit. postremo cum durare nequiret, egit per interpretes, ad eam rem aptos, cum ea, ut intromitteretur. illa primo negare, ac se non esse ejus notæ mulierem dicere, quæ cum alienis & ignotis viris fabularetur; deinde se illorum precibus victam simulans, quandoquidem, inquit, eo est in me animo ac benevolentia, quam dicitis, &, ut verum fatear, quia nemo antehac conspectus est à me, in quo magis commota sim, adeat, me colloquatur, hæ semper illi fores patebunt. quid opus est verbis? simulac habuit ad ejus mulieris gratiam atque amicitiam receptum, ita repente mutatus est totus, ut ex optimo frugalissimoque deterrimus profusissimusque evaserit. ac finis fuit ejusmodi, ut, cum nullus, neque poscendi, neque dandi finis esset, æs alienum grande contraxerit, cumque non esset solvendo, urbe excesserit, seque creditoribus fuga subtraxerit.

LVI. *Cui sunt res minus secundæ, dilapsum in alias res animum, ad Deum atque ad seipsum revocat.*

QVod vexatio det intellectum, ut in sacris literis legitur, perspicuum est magis, quam ut mea vel cujusquam oratione indigeat. quos enim plerumque res prosperæ de optimo vitæ statu dejecerant, adversæ ad sanitatem revocarunt. vix quisquam invenitur, qui calamitate aliqua affectus, non suis eam peccatis referat acceptam, ac Deum, cujus antea ne meminerat quidem, non sibi facere propitium studeat. quid? nonne istuc etiam sentiunt ii, qui capitalis cujuspiam sceleris damnati ad supplicium rapiuntur? qui etiam interdum de illo eodem supplicio immortales Deo gratias agunt; nam fateri coguntur, nisi ad judices illos venissent, se ex Dei manibus non elapsuros, in quas, ut Apostolus inquit,

quit, est horrendum incidere. superfluum est, ac non necessarium, hujus rei exempla proferre. neminem enim esse arbitror, cui non plures veniant in mentem, ex iis, quos viderint, vel de quibus audierint; quos à perdita ac flagitiosa vita, vel lethalis aliquis morbus, vel rei familiaris jactura, vel aliquod ejusmodi infortunium, ad sanitatem revocaverit; sed cogor unum in præsentia referre, quod haud ita pridem à P. Io. Matthæo Ancina accepi.

Erat quidam superioribus annis, qui ita in re familiari sua viveret, ut, pecudum more, suavia in præsentia quæ essent, prima duceret, ceterum Dei metum, & salutis æternæ rationem prorsus à memoria abjiceret. sed quamquam ipsum Dei oblivio cœperat, minime tamen eum Deus in oblivionem adduxerat, sed recordatus misericordiæ suæ, cogitabat ovem, quæ errabat, in viam revocare, atque intra ovilis sui septa reducere. quamobrem passus est eum in magnam quandam in Remp. fraudem delabi, cui, pœnæ loco, Princeps, publici cujusdam muneris, quod gerebat, administrationem abrogavit, atque insuper pecunia, quatuor videlicet aureorum millibus multatum à se dimisit. ex qua contumelia, damnoque, continuo mens illi & consilium, quod aberat, rediit, ac, vetere repudiata, novam vitæ rationem inivit, seque ad divinæ legis præscriptum conformavit. itaque omnibus audientibus non pudet eum dicere, se maximas & ingentes Deo gratias habere, quod ipsum calamitate illa pulsasset; iis enim plagis atque verberibus timorem Domini didicisse, ac prorsus hominem esse factum ex pecude. itaque quod aliis solet esse dolori atque tristitiæ, id est illi causa voluptatis atque lætitiæ; Davidis exemplo, cui divina flagella convertebantur in consolationem & gaudium. nam verberatus à Deo, *Virga tua & baculus tuus*, inquit, *ipsa me consolata sunt*.

LVII. *Ec-*

LVII. *Ecclesiam non esse bonis suis evertendam, neque alios ex eis locupletandos.*

QVanto, quamque inexpiabili se scelere alligent ii, qui res Ecclesiæ diripiunt, quæ Deus exempla in Carolum Francorum Regem, Pipini patrem, edidit, satis superque declarant. quam rem, quamvis à non nemine, tanquam temere confictam rejici, non me lateat, quia tamen sacris canonibus consignatam invenio, ac multis posse prodesse intelligo, referam. hic igitur Carolus bona, Deo dicata, Ecclesiis ademerat, & quibus libitum fuerat impertierat. eo vita functo S. Eucherius Aurelianensis episcopus, fusus in preces, sibi visus est à corpore abstrahi, atque, Angelo duce, ad loca, improborum suppliciis fœda & horrenda, perduci,ubi Carolum exquisitis tormentis excruciari conspexit; cujus tam gravis in eum animadversionis causam cum rogasset, respondisse Angelum, quod eorum Sanctorum sententiis, quorum ecclesias expilasset, quique una cum Christo genus humanum judicaturi essent, ante diem judicii, pariter cum corpore, æternis esset ignibus addictus. quod in se reversus, Sancto Bonifacio ac Fuldrado Abbati narravit; quibus vehementer exterritis, placuit ad Caroli sepulcrum accedere. quod cum aperiendum curassent, draconem ex eo, horribili sane forma, evolantem, illudque præterea intus igne peresum, fumoque nigrum aspexerunt. quare Pipinus, ut par erat, commotus, bona ecclesiis erepta perquirenda eisdemque reddenda curavit. verum, ut ut se se res habeat; hæc à Deo sacrilegis ecclesiarum prædonibus, sceleris merces & gratia rependitur. prædones autem ecclesiarum, non eos tantum voco, qui bona ecclesiis per vim ereptum eunt, verum etiam, qui ingentes annuas pecunias, à majoribus nostris, religiosissimis mortalibus, ad sustentandam pauperum inopiam, relictas & traditas, vel ipsi per luxuriam effundunt, vel filiis, cognatis, ac nepotibus ipsorum, perdendas dissipandasque relinquunt, qui filii, vel nepotes, non parum sæpe, majorum suorum cupiditatis avaritiæque pœnas pendunt. nam pe-

cuniæ

cuniæ illæ, tanto ab eis labore ſtudioque coactæ, neſcio quo pacto, dilabuntur, & in nihilum abeunt, ipſi vero ad eam egeſtatem adiguntur, quam in pauperibus Chriſti neglexerunt.

Erat Romæ, paulo ſupra hanc ætatem, vir quidam, qui ad ſummos honores divitiaſque, ex pingui ſacerdotio coactas, pervenerat, adeo ut, eo mortuo, quos ſibi heredes inſtituerat, partim ex opulentis eccleſiaſticis beneficiis, partim ex optimis prædiis, ſupra triginta aureorum millia quotannis acciperent, præterea ædes pulcherrime factas, in celeberrima urbis parte ſitas, obtinerent; quas ædes ut in urbis pene modum ædificaret, dederat ille operam, ut maxima religioſiſſimi antiquiſſimique cujuſdam templi pars dirueretur. ſed contentus hac iniquitate non fuit: nam cum ædes, quas extruxerat, templo annexæ continerentur, atque eas vehementer cuperet inſulæ cujuſdam inſtar habere, ita à templo ſejunxit, ut illud, ad exigui cujuſdam ſacelli modum redegerit. ne multa, vix quinquaginta ab ejus interitu anni intercesſerant, cum ingentes illæ divitiæ diſperierunt, neque ullum fere ſui veſtigium reliquerunt. nam ex ejus filiis ac nepotibus alii, quod, magno ære alieno obſtricti, ſolvendo non eſſent, ac propterea exilium patria ſede mutaſſent, ſacris interdicti, & à communione ceterorum fidelium ſegregati, diſceſſerunt è vita; alii, bonis fere omnibus amiſſis, dignitatem ſuam tueri vix poterant; qui vero reliqui ſunt ex ea familia, partim in egeſtate ac ſolitudine indignam ipſorum genere vitam exigunt, partim cognita rerum humanarum vanitate & inconſtantia, iis valere juſſis, ad religioſorum hominum caſtra confugerunt, ubi angelorum vitam in humanis corporibus agunt.

Hoc loco libet interponere, etſi paululum à re alienum videatur, male ceſſiſſe omnibus, quos quidem ego noverim, qui ad privatas domos ædificandas, vel ad hortorum ſuorum terminos proferendos, ſacras ædes ſolo æquarunt. nam alii hortos, domoſque, quas excitarant, aliis pretio abalienarunt, neque iis uti frui voluerunt; alii in furorem prolapſi, infelicem vitæ exitum ſunt adepti; alii, liberorum cupidi, nullam ex uxoribus

bus ſuis maſculam vel virilem prolem ſuſceperunt; alii, quos habebant, in ſolitudine & egeſtate reliquerunt; alii amplas atque florentes res ſuas, præcipiti fere lapſu ad extremum pene caſum perductas conſpexerunt. Sed jam eo, unde digreſſi ſumus, revertamur. is de quo commemoravimus, perpetua uſus felicitate, nec dum alteram fortunam expertus, deceſſit è vita, ac cupiditatis avaritiæque ſuæ pœnas poſteris luendas reliquit. at conſuevit etiam Deus ſacrilegos iſtos, non impunitos ab hac vita dimittere, ſed ab eiſdem etiam tum vivis eas pœnas repetere, quæ cupiditati illi, cujus æſtu rapiuntur, in primis adverſetur. quoniam fere accidit, ut in ſuo quiſque vitio plectatur: nam quid raptores hujuſmodi, tam ſectantur, quam divitias? quid tam fugiunt, quam paupertatem? at ab illis ſæpenumero abſunt, hanc frequenter incurrunt.

Fuit olim in oppido quodam ſubalpinæ regionis vir nobilis, eccleſiaſtici cujuſdam beneficii patronus, præterea opibus ac divitiis, ſui loci atque ordinis facile primus. hic annuas pecunias, quas ſacerdotem, ejus ſacelli rectorem, capere oportebat, tanquam calamitas aliqua intercipiebat, ac domum ſuam avertebat. querebatur ſacerdos, inopiam ſuam cum lacrimis aperiebat, eum etiam admonendum corripiendumque curaverat, ſed plus apud illum poterat pauxillulum illud lucri, quam jus, quam æquitas, quam Dei metus, in cujus offenſionem incurrebat. non tulit diutius tantam hominis iniquitatem Deus, ſed, quam minime ille volebat, pœna compeſcuit. etenim ſacra illa pecunia, tanquam ſi aliquod incendium fuiſſet, univerſum fere ejus patrimonium abſumpſit; adeo ut, ex locupletiſſimo, factus ſit omnium longe pauperrimus; & quod mirabilius videri debeat, quærens ille, atque inveſtigans, quid ſubitæ illius inopiæ cauſam attuliſſet, nihil reperiebat; nullis, neque publicis, neque maritimis negociis affinis fuerat, nullam mercaturam habuerat, ubi rem perdidiſſet, nullos extraordinarios ſumptus fecerat, nullum rei familiaris damnum indiligentia contraxerat, ſed contra, à negociis alienus, frugaliſſimus, & in tutanda re ſua diligentiſſimus fuerat.

LVIII. *In-*

LVIII. *Indus quidam infidelis, divinitus ad Christi fidem vocatus, sanctissime vivit ac moritur.*

VIr quidam Indus, nomine Emanuel, præter fluminis cujusdam ripam iter faciens, sensit tacite intra se agi ac dici, Deum verum esse eum, qui humanam pro nobis naturam induisset; cumque animi ipsius aures crebro ejusmodi vocibus personarent, cœpit secummet ipse quærere, quisnam esset hic Deus, humana carne, tanquam veste quadam, indutus; erat enim funditus Christianæ religionis expers ac rudis; ac sensit; sibi intrinsecus responderi, ne consisteret, sed pergeret, ac progrederetur longius. quod cum factum ab eo esset, devenit in latronum insidias; à quibus comprehensus est, atque ethnicis quibusdam precio in servitutem addictus. qui cum ægre servitutis incommoda ferret, die quodam, rebus aliquot convasatis, se fugæ mandavit. sed cum abeuntem eum domini prosequerentur, tandem assecuti sunt, ac multis plagis, atque aliquot etiam vulneribus affectum, sibi ad pedes abjecerunt. sed cum nihilo minus in eum sævirent, viator quidam Hebræus rogavit, ut homini pene jam mortuo parcerent. tum illi, antea multo aceto ac sale ejus vulneribus perfricatis, inde sublatum, rursus in servitutem abstraxerunt. neque tot injuriis oppresso, illa Dei hominis cogitatio excidebat, sed altius hærebat in animo; & cum primum ei rei facultas oblata est, rursus se dominorum sævitiæ, fuga subtraxit, atque in navim, quæ tum solvebat, ascendit; ubi tam diu sub quoddam tabulatum delituit, quam fuit suspicio, ne ab insequentibus reprehensus, à fuga retraheretur; & quamvis latitanti omnia fere humana præsidia deessent, divina non aberant. nam quotidie, pueri cujusdam opera, tantum cibi & potionis eidem deferebatur, quantum satis esset ad famem sitimque tolerandam. postquam vero omnis suspicio metusque discessit, è latibulo prodiens, cœpit Christiani concionatoris partes agere, & clare, omnibus audien-

audientibus, dicere, Deum verum, nec præterea alium tot rerum admirabilium effectorem extitisse, quæ cælo, terra marique continerentur; atque, admirantibus cunctis ac quærentibus, cur homo à Christiana religione alienus ea loqueretur, respondebat, se quidem nescire, quid diceret, verum id suggeri dictarique ab ea voce, quæ sibi intus in animo loqueretur. cum vero navis ad Lusitaniam appulisset, traditus est in servitutem mulieri longe piæ religiosæque; à qua etiam duo jumenta accepit, quibus in urbem ligna conferret; atque, ex eleemosynis, quæ multæ ad eum undique conferebantur, altaria & sacella Deo excitanda ædificandaque curabat. at, ea muliere vita functa, tanquam voti causa, ad Ædem B. V. in monte Serrato se contulit; tum aliam ejusdem ædem invisit, quæ vulgo B. Virginis Spei vocatur; ubi, cum in iis, quæ ad nostram fidem spectant, esset prope rudis atque hospes, ut diximus, (ad ea enim rite percipienda, neque spacii, neque facultatis ita multum habuerat,) plenus spei ac fidei, Dei matrem enixe rogavit, ut ad ea cognoscenda, aliquod sibi lumen afferret; ac statim sensit, suo ab animo quasdam quasi tenebras pelli, ac summa fidei Christianæ capita fieri aperta atque perspicua; & si quem adversæ fortunæ fluctibus jactatum conspiciebat, eundem hortabatur, ad D. Virginem confugeret, huic supplicaret, eamque firmissimam spei nostræ anchoram teneret; ita enim fore, ut, quod cuperet, impetratum referret. post hæc, tacita quadam vi, sensit se attrahi Romam: verum cogitans, se perperam eo venturum, ubi nulli esse usui posset, homo videlicet Indus, pauper, ac rerum omnium imperitus, facile cupiditati illi obstitit; sed demum ab intrinseca illa voce, de qua diximus, confirmatus, quæ ubique locorum Deum sibi propitium fore pollicebatur, venit in urbem; ubi acceptus est hospitio à Lusitaniæ Regis legato. ad quem dum divertit, nocte quadam à dæmone abripitur, atque in cloacam plenam sordibus abstrahitur; unde, postquam illuxit, emersit, ac suum in cubiculum se recepit, sed adversus dæmonis impetus, hoc singulari utebatur præsidio, ut crucis eidem signum objiceret, eodemque se muniret. quamobrem ille non est

ausus eum amplius attingere, quamvis variis sæpe monstris prodigiisque sit conatus in terrorem inducere. sed postquam egregiam hominis virtutem cœpit rumor efferre, vel potius ipsa ejus virtus suo se lumine prodidit, multorumque oculos in se convertit, expetitus est à pluribus, & in his à Carolo Mutio, Cardinalis Mutii episcopi Viterbiensis, qui aliquot ab hinc annis est mortuus, optimi clarissimique viri, patre; à quo etiam invitatus, atque adeo attractus est in domum suam, tum, eo in subalpinos ad Ducem Sabaudiæ profecto, exceptus humaniter est ab Hortensio Frangipane, atque omnibus in rebus humaniter habitus; cujus etiam domi acquievit, annos centum atque eo amplius natus, atque in Æde D. Mariæ super Minervam sepulturæ mandatus. Multa toto hoc tempore extiterunt, quæ viri sanctitatem significarent, è quibus, brevitatis causa, unum aut alterum afferam. cum domi Caroli Mutii, lethali implicitus morbo teneretur, quia Carolus ab urbe aberat, familiarium negligentia, multos dies sine cibo jacuit; sed ex eo tandem morbo divina ope convaluit. quodam etiam die, cum de more in cubiculo clausus, ad Deum preces effunderet, oranti, in hæc verba, Quo ore, corporis vinculis solutus, tibi in conspectum veniam, omnium rerum rudis! Christus multa luce circumfusus apparuit, ac blande Emanuelem appellans, capiti ejusdem manum admovit; tum Emanuel, ingenti perfusus gaudio, Domine præsto sum, ait; cui Christus, tu quidem apud me eris, sed ejus rei dies nondum advenit; necesse est enim antea te paululum operæ, pœnitentiæ tribuere. Interdum inspiciebat in hominum animos, & clausas eorum cogitationes & consilia, ipsis admirantibus, aperiebat; quemadmodum usu venit in eo, qui, nemine conscio, constituerat, nescio quam rem cuidam muneri mittere. nam conventus, & admonitus ab eo est, ut cogitatione illa desisteret; fore enim tempus, quo ejus indigens rei esset, quam properaret amittere. nonnunquam etiam, quæ, ipso absente, de se homines loquerentur, Deo revelante, percipiebat. nam cum quidam de ejus probitate sermones lacessissent, neque vererentur, sanctum eum appellare, venit ad eos sto-

machans, &, Quid, inquit, vobis venit in mentem, me falso sanctitatis nomine onerare? sanctus est D. Petrus, sanctus Divus Paulus, Sancti ceteri omnes, quos sua merita in cælum vocaverunt; equidem nihil sum, nisi fœtidus quidam pulvis, ac cinis. Hæc, pene eisdem verbis, translata sunt à me in hunc locum, ex quadam pagella, Italice scripta, à P. Iacobo Vulpono Congr. Oratorii accepta.

LIX. *Infideles, congruenter naturæ viventes, à Dei auxilio non deseri.*

QVod homines Deus, ex naturæ præscripto vitam agentes, non deserat, neque sine Christianis sacris interire patiatur, tum alias sæpe, tum hac nostra memoria, in quodam Turca, mirum in modum apparuit. Petrus Alaona Soc. Iesu Siculus, Marco Cornelio, Episcopo Patavino, mihique narravit, olim Regis Hispaniarum classem, ex insula Siciliæ in Africam solvisse, eo consilio, ut afficeret eas regiones clade, se autem præda locupletaret; & classem quidem eo esse appulsam, & milites in terram egressos, sed neque esse ausos quemquam bello lacessere, neque captivum in servitutem abducere, extra unum Turcam, annos natum prope nonaginta; quem navi impositum, in Siciliam detulerunt; & rogatum, num vellet Christianus fieri, respondisse ajebat, nihil sibi longius videri, quam dum Christiana sacra perciperet; itaque statim, sacro regenerationis lavacro fuisse lustratum; tum eam illi provinciam traditam, ut pro eo xenodochio, ubi alebatur, à populo stipem exigeret; postremo, paucos post, annos an menses? egregie eo munere functum, diem extremum obiisse. sed cum quærerent, & investigarent, quibus præditus moribus in vita fuisset, inveniebant, eundem congruenter naturæ vixisse, & pauperum Christianorum inopiam pro opibus sublevasse. quamobrem palam factum est omnibus, divino consilio eam classem fuisse comparatam & instructam, tantaque celeritate in Africæ litus impulsam, ut hominem unum exciperet, ac Christianis sacris imbutum, in æternæ salutis portum adveheret.

LX. *Qua-*

LX. *Quatuor mulieres, in primis nobiles, sed formæ bono feroces, dignas vanitatis contumaciæque ipsarum pœnas luunt.*

DEus, audivi auditionem tuam, & timui; conside-ravi opera tua, & expavi. Liceat mihi iisdem verbis humiliter Deum affari, quibus sanctissimus Propheta, in admirationem elatus, eundem Deum alloquitur. ita mihi se se aliqua divina ejus judicia offerunt, quæ sua gravitate terrorem metumque incutiant; è quibus, primo loco, illud proferam, quod primum venit in mentem. Quatuor, uno fere tempore, me puero, mulieres nobiles, formæ ac venustatis laude, ceteras anteire existimabantur; neque in eo homines decipiebantur; erant enim re ipsa tales; sed inerat illis non minor vanitas, ambitio, atque superbia, ex opinione ac fama, de ipsarum forma elegantiaque concepta. quo fiebat, ut minus Deum, quam par esset, metuerent. nam, quocunque pergerent, cultiores ornatioresque, quam probas decet, incedebant; tum, ostentationis gloriæque causa, certatim amatorum spectatorumque greges secum trahebant; neque alias magis in ejusmodi iniquitatis operibus versabantur, quam diebus festis, cum se se in templum agebant, ut rebus divinis interessent. eo enim diligentius expolitæ, pictæ, fictæque veniebant, eodemque exquisitius, atque adeo superstitiosius ornamentorum genus deferebant; ibi majorem circa se numerum eorum habebant, qui se dici volunt elegantes; ibi formas suas ociosius spectandas præbebant; ibi modo hunc modo illum intuentes, lascivis oculorum obtutibus, cupidorum hominum insanias acrius inflammabant, summa eorum, qui aderant, cum offensione atque dolore, qui ferebant indigne, tam insignem Deo contumeliam inferri. sed eæ ad unam omnes vanitatis, petulantiæ, & sacrilegii ipsarum pœnas dederunt. nam uni earum, quæ, ut fama erat, virum tollendum curaverat, quo alteri potentiori nuberet, à quo misere amabatur, in ipso ætatis flore erepta vita est; alteri manus, ob cujus candorem pul-

pulchritudinemque se in primis circumspiciebat præcisa; ne lethale virus, quod contraxerat, totum videlicet corpus inficeret; sed nihilo minus statim est mortua; tertiæ, quæ palam à viro quodam principe ad insaniam adamata, in graviorem populi offensionem incurrerat, fœtidus obscœnas partes cancer adedit; postrema, cùm rem familiarem, quæ erat amplissima, propinquos, ornatissimos viros, ac liberos, lectissimos adolescentes, amisisset, diutina est tabe confecta.

LXI. *Quid sit periculi, in rebus dubiis, opes suas in hominum gratia, non autem in Dei ope collocatas habere.*

HVmanarum calamitatum fluctibus agitatis, tutissimum esse perfugium ac portum in Deum, intelligunt ii qui, desperatis omnibus aliis auxiliis, toti ab ejusdem Dei providentia ac bonitate dependent. quorum quia magnus est numerus, unius testimonio Davidis contentus ero, qui totus hac fiducia plenus, *Mihi autem adhærere Deo bonum est*, inquit, *ponere in Domino Deo spem meam*. ex contrario, si, Deo relicto, spes nostræ ad solam hominis alicujus fidem & patrocinium advolent, fere semper naufragæ, ad aliquem perfidiæ aut infelicitatis scopulum, navem, ut ita dixerim, frangunt. id quod perpetuæ eorum querimoniæ luctusque declarant, qui eos, à quibus decepti sunt, ubi fides sit, orant, aut adversam fortunam conqueruntur. neque eo minus inveniuntur aliqui, qui in calamitatibus positi, totos se ad hominum gratiam atque potentiam conferunt, neque magis Dei opem auxiliumque implorant, quàm si ille non esset, aut nihil in eo præsidii inveniretur. quocirca in sacris literis, malè illis Spiritus Sanctus imprecatur, qui confidunt in homine. Erat superioribus annis, in vinculis publicis reus quidam, flagitiis ferè omnibus coopertus, seque emitti posse sperabat, viri cujusdam opera, qui, auctoritate & gratia, plurimùm apud Principem poterat; in eoque spes suas omnes fixas & locatas habebat: verum à religioso quodam viro admonitus

est,

ſt, ne confideret in Principibus, in filiis hominum in quibus non eſt ſalus, ſed potius in Dei opem confugeret, ejuſque potiſſimum gratia niteretur. at non magis improbe, quam impie, reſpondit, Quid Dei mihi gratiam narras? nihil eam moror; principe ego illo egeo, ejuſque mihi opus eſt gratia, qui hac me cuſtodia liberare poteſt. & ſane tum eſt ab ea dimiſſus, ut optabat; ſed paulo poſt, execrandæ illius blaſphemiæ pœnas dedit. nam repentina morte correptus, fuit omnibus exemplo, quantum interſit in Dei tutela patrocinioque latere, neque ejus gratiam parvi pendere, vel à ſe ſe rejicere.

LXII. *Suam iis ſpem decollare atque decoquere, qui peccata, quæ fecerint, occulta & impŭnita fore ſemper exiſtimant.*

GAllus quidam, ex provincia Aquitaniæ, domino de Villa cognomine, unus ex regiis machinatoribus, forma eximia & ætate integra mulierem domi ſuæ alebat; quam etiam ob amorem in illam ſummum ac ſingularem, prope in uxoris loco habebat. Sed cum ille egregie navaret operam Regi, fiebat, ut ex illius muneribus rem quotidie familiarem ſuam augeret; & quia liberos non habebat, venit illi in mentem, adoleſcentem aliquem, arcta ſibi cognatiône devinctum, educare, generi monumentum & ſibi, ad quem môrte bona ſua omnia redirent. itaque ad fratrem ſcribit, ut ſuis ex filiis, ad ſe aliquem mittat; atque eadem opera ad amicum, cordi ſuo cariſſimum, dat literas, ut ſuum ad ſe filium perducendum curet. Sed vix pauci ab his literis ſcriptis interceſſerant dies, cum adoleſcens uterque ſe ſeilli in conſpectum dedit. verum continuo ſuſpiciones metuſque orti ſunt maximi inter fratris filium & mulierem, quam ab eo diligi vehementer, diximus; quod mulier vereretur, ne amator omnem de ſe amorem ab animo ejiceret, & in fratris filium refunderet; fratris vero filius, quod metueret, ne amor ille venereus, quo, tanquam clavo, fixus apud mulierem erat, animus patrui,

trui, caritatem, quæ cognationi in primis debebatur, extingueret. ſed mulier, cujus erat acerbius in adoleſcentem odium, conata eſt prior, dolis eam à ſe moleſtiam dimovere, hoc eſt, aliquam in illum tragulam injicere; atque hoc ad eam rem conſilium capit. erat patruo adoleſcentis, amatori ſuo, ephebus, ex illorum numero, qui ſuas ad uſum domeſticum, ut mos eſt in Gallia, operas locant; hunc aggreditur, & pluribus verbis docet, in rem utriuſque non eſſe, adoleſcentem in ædibus illis verſari, ſed inveniendum eſſe aliquid,quo ille foras excluderetur; quod ſejam reperiſſe putabat; proinde fabrum aliquem, clavium concinnatorem, adduceret; illi ſe, quid fieri vellet, oſtenſuram. ephebus obtemperat, advolat, fabrum adducit; cui illa imperat, ut armariolum, quod inter alias res precioſas, multis refertum aureis nummis, iiſque duplicibus, habebat, machinatione aliqua reſeret; nam clavem, qua aperiebatur, ſe amiſiſſe aſſimulabat. verum ille, cum diu multumque conatus eſſet, operam luſit; ſera enim firmiſſima, opere Germanico facta, omnem ejus conatum reddebat inanem. mulier re infecta,jubet illum abire; ſed cum patruus adoleſcentis, domum ſe recepiſet, ſeductum, hac eum oratione convenit; Si das mihi firmatam fidem, te taciturum, ac ne commoti quidem animi ſignum aliquod oſtenſurum,tibi pulcrum filii fratris tui factum aperiam; qua impetrata, Vide, ait,quam bonus ille vir tot tantiſque tuis in ſe beneficiis gratiam referre ſtuduerit; armariolum, ubi aurei nummi, mihi à te dono dati continentur, per vim eſt aperire conatus,& auro vacuum facere. unaque opera in cubiculum introducto, ſeram illi vitiatam & corruptam oſtendit; quæ neque clavim amplius admitteret, neque eam libere circa ſe verti pateretur. qui habita dicenti fide, non ita multos poſt dies, accitis adoleſcentibus, fratris filio, Mihi, inquit, non lubet, tua dehinc opera uti; deſine velle hujus rei cauſas exquirere;non enim te eſt æquum, omnia ſcire; propterea, quantum potes te hinc amove, & ad patrem, unde profectus es, recipe. percuſſit ilico adoleſcentibus animum ſuſpicio, mulieris id gratia fieri, cujus, animi à ſeſe alieni, ſigna non obſcura aliquanto

quanto ante vidissent; sed certi, quod affirmarent, cum nihil haberent, abierunt, sed non in patriam; quod decreverant Parisiis consistere, suumque in ea urbe domicilium collocare; id quod ipsis, per parentum facultates, quæ satis erant amplæ, facere licebat. At muneris, quod gerebat, ratio deposcebat, ut ille, qui eos domo expulerat, sæpenumero Regem, quam in partem iret, sectaretur; itaque die quodam cum ephebus, qui fuerat mulieris fallaciæ conscius, cum illo una iter faceret, Si mihi, inquit, fidem das, te nullum de me supplicium esse sumpturum, facinus in quod me conjeci, aperiam. quam cum ille dedisset, crimen à muliere in fratris filium, falso confictum exposuit. quo ille audito, data sibi verba fuisse, plurimum doluit, seque vehementer facti pœnituit: verum, quia nimis arcto amoris vinculo mulieri adstrictus tenebatur, acceptam ab ea injuriam mussitandam duxit, ac ne nutu quidem ac significatione, se eidem esse iratum, ostendit, sed revocatis adolescentibus, cum vos, inquit, domo foras ejiciebam, clam ejus rei causam habui; at neque nunc faciam vobis palam, quid me sententiam mutare compellat, ite, agite; en vobis domus meæ fores patent; pergite, sicut antea fecistis, bene de me ac de familia mea mereri. illi, quibus jam noti fuerant atque perspecti mulieris doli, gratias egerunt, ac, de referenda improbæ illi gratia, excogitare cœperunt, cumque jam pulcre omnia instructa in corde consilia haberent, summam dederunt operam, omnibus officii benevolentiæque significationibus, ne quid ad mulierem permanaret; tum totam suæ vindictæ rationem cum quodam patrui amico communicarunt, quem, mutuæ amicitiæ vinculo, sibi conjunxerant; qui primum, omni animi contentione, agere cum illis cœpit, ut sententia desisterent, neve tantum in se scelus admitterent; tum pericula, quibus se objicerent, supplicia in eos qui facinus tam atrox perpetrassent, constituta, proponere; postremo, cum ab eo, quod constituissent, deduci non possent, manus dedit, ac suam ad eam rem operam detulit. jam nihil deerat, nisi cogitata perficiendi occasio; quæ brevi se obtulit, cum nimirum patruus adolescentis, Regis sui causa,

nescio quod iter esset suscepturus. itaque, ex compacto, mulierem adeunt, anni tempus lepidissimum laudant, in prædium amœnissimum ac venustissimum, quod non amplius ab urbe leucis tribus abesset, invitant, ut ibi tantisper, dum ille reverteretur, hilaritati se traderent. illa, quæ nihil suspicaretur, voluntati eorum gratias agit, promittit; ne multa, die quodam, cum jam vesper appeteret, tres illi, una cum Italo quodam, Gamorrino cognomine, cujus pater principem in regiis machinatoribus locum obtinuerat, rhedam inscendunt, ad mulierem, quæ jam profectionem ornaverat, veniunt, rheda plenam hilaritatis excipiunt, ac sub vesperam in amœnissimum illum locum adducunt; ubi statim illa cœpit, animi gratia, suis oves manibus mulgere, & lac patera exceptum ebibere. quod ubi est ab illis animadversum, accurrunt, ac lacti saccarum, multo cum opio mistum, quod ad eum usum attulerant, indunt. quo, illa epoto, cum se jam venenum in venas infunderet, continuo exclamavit, à somno se arripi, & totam ab eo obsideri; illi collapsam excipiunt inter manus, in cubiculum ibi proximum deferunt, vestibus exuunt, & in lectulo collocant. quam ubi adolescens, qui præcipuas cum ea inimicitias gerebat, fusam, ac sine sensu jacentem offendit, collo ejus, funem innectit, cujus caput unum ipse in manus sumpsit, alterum ephebo, quem sibi pedissequum duxerat, tradidit, atque, Adsiste, inquit, altrinsecus, & ambo, tu ad dexteram, ego in contrariam partem, funem usque trahamus, dum mulieri gula frangatur. sed antea, quod oblitus fueram dicere, miseræ, nec ob soporem, quo ante complexa tenebatur, ad resistendum idoneæ, bis stuprum intulerat. quo audito, ephebus plane vehementer exhorruit, ac magna voce, Nunquam, ait, committam, ut tanti me sceleris alligem. ad quam vocem Gamorrinus, quem paulo ante nominavimus, ejus rei ignarus accurrit; qui re improvisa perterritus, gravissimis verbis accusavit illorum improbitatem, quod essent ausi, illuc eum adducere, ubi tantum esset facinus perpetrandum; ac nisi nox obstitisset, quæ jam fere terras opacaverat, illis relictis se in urbem, quantum potest, recepisset. verum ephe-

ephebus, qui summo clamore recusabat, traditas sibi carnificis partes accipere, metu mortis injecto, (nam dominus, Nisi mihi, inquit, dicto audiens fueris, tibi vitam adimam,) coactus est imperata facere, & mulieri necem afferre. corpus extinctæ, una cum subucula, tenuissimo lino contexta, atque admirabili opere facta, quam solam illi reliquerant, primum de fenestra ejecerunt in agrum, consitum tritico; tum elatum, ducentis introrsum passibus, abstulerunt, ibique leviter humo conspersum, quam suis ipsi manibus abraserant, cum nihil esset quo terram foderent, reliquerunt. postridie mane, prædii illius conductore valere jusso, discedunt; sed prius, ne quam homini suspicionem commoverent, si mulierem quæ una cum ipsis venerat, simul etiam abeuntem non vidisset, ephebum vestibus mulieri, ut diximus, detractis, exornant. in urbem reversi, bona, quæ fuerant mulieris, inter se partiuntur, nummos videlicet aureos sexcentos, eosque duplos, & francos quadringentos, ex illius supellectile, cauponi cuidam vendita, redactos; in quorum partem Gamorrinus etiam venit, qui antea tantopere à scelere illo abhorrere visus fuerat; sed auri fulgore perstrictus, quo particeps illius fieret, se se ad tanti sceleris societatem aggregare non dubitavit. interim patruus adolescentis revertitur, partem illam ædium, quæ à muliere habitabatur, nudam & inanem offendit. quærit, quid factum sit, respondet adolescens, rhedam, quæ ad ipsam tollendam venerat, conscendisse eam, neque ullum deinde ipsos accepisse ab ea nuncium. quod cum audisset, pro certo credidit, sua eam voluntate fuisse ab aliquo quopiam abductam; quam ejus opinionem confirmabat simultas, qua illa & fratris filius obtrectabant inter se, & crimen, de tentata atque corrupta, auri suffurandi gratia, scrinii sera, temere in illum ab ea confictum. verum qui tanti sceleris conscientia constricti tenebantur, subvereri cœperunt, ne minus alta, quam par esset, fovea defunctæ corpus humassent, ac propterea, si palam res fieret, ne pœnas legibus darent. itaque communi consilio constituunt, proxima illud nocte defodere, atque alio in loco, suspicionibus minus obnoxio, altiori

sepul-

ſepulturæ mandare. ergo inſtructi rebus omnibus, eam ad rem aptis, eunt, defodiunt, efferunt, & in publico ad lunæ radios, ante villæ, advocati & ſenatoris cujuſdam, oſtium condunt, ac ſupra gramen, proximis ex locis, radicitus extirpatum addunt; quibus actis, otioſi ab animo, tanquam, ſi res omnis eſſet in vado, revertuntur. per eos dies, advocati illius filia, ex gravi diuturnaque ægrotatione, magna ex parte viribus amiſſis, quo eas recuperaret, & ſimul ad camporum viriditates, ad avium cantus, ad florum amœnitates, ad liquores perlucidos fontium, omnem animi moleſtiam abſtergeret, in patriam villam ſe contulit; ac die quodam, cum, ſumpta in manus teſtudine, una cum cubicularia, ambulationi ſe daret, exarſit cupiditate exeundi in viam; ſed vix pedem ab oſtio foras extulit, cum ſenſit ſe retineri. exiſtimavit primo, id fruticis, vel rami cujuſpiam opera fieri; ſed cum ſe convertiſſet, ut ab eo ſe expediret, exſtantem prominentemque ab humo manum aſpexit, quæ ipſi, veſtibus comprehenſæ, moram & impedimentum objiceret. quo illa metu, quo horrore, qua formidine correpta ſit, non dico, ſed in cogitatione cujuſque relinquo. cubicularia, quæ debebat ferre opem dominæ, ex metu collapſæ ac prope ab anima derelictæ, ipſa quoque exanimata, curriculo ad illius matrem ſe contulit, clamans, ut filiæ auxilio veniret, quæ jam à vita deſtitueretur, niſi præſens auxilium eſſet. advolat illico illa cum multis, filiæ ſuccurrit, medicamentis fugientem animam revocat, & ſimul dat ad maritum literas, ut relictis rebus omnibus ad ſe veniat, ita ſibi, filiæque, rem eſſe. qui ſtatim rheda vectus excurrit, rem cognoſcit, ad magiſtratum urbis villæ proximæ defert; qui tabellione ac teſtibus adhibitis, cadaver exhumandum curat, atque, ex præſtantia formæ, quæ adhuc in ejus facie inerat, & ex eleganti ſubuculæ, qua tegebatur, opere, illuſtris cujuſpiam fœminæ illud eſſe, fuit omnium opinio. quam rem, cum non ita multo poſt advocatus ille ſenatori cuidam, Pariſienſis ſenatus facile principi, cujus erat domi, narraret, forte accidit, ut ibi patruus illius adoleſcentis adeſſet, & perquam diligenter in aures, quæ dicerentur, admitteret, qui ea,

quæ

quæ de egregia mulieris forma, capillis, preciosaque subucula narrabantur, secum in corde volutans, in eam est opinionem adductus, ut putaret, eam mulierem illam esse, quam adamasset, & stupri consuetudinem cum ea habuisset, neque alium esse posse crimini illi caput, nisi fratris filium, qui per eam rationem ultus esset mulieris injuriam, ex falsa scrinii corrupti accusatione sibi factam; ac domum se recipiens, senatum cogitationum suarum in animum convocat, &; quid optimum factu sit, consulit, num videlicet præstaret, verum ab adolescente, placide eum interrogando, exprimere, an terroribus ac minis exsculpere; sed magis hoc ultimum placuit. nam si placide illum esset adortus, omnia iturus fuisset inficias. venit igitur domum, & cubiculorum omnium foribus obseratis, adolescentem in intimam ædium partem adducit, &, tanquam si crimen manifesto comperisset, ac manu teneret, acri ac vehementi oratione cœpit in illud invehere. ardebant oculi, & toto ex ore ira eminebat, cum pugnaret, in ejus animo, decus existimatioque familiæ, & amor quo illam mortuam prosequebatur; qui ex acerbissimo indignissimoque ejusdem casu, factus erat etiam ardentior. non est ausus adolescens negare, sed rem totam, ita ut erat gesta, narravit. tum ille, Fratris me, inquit, pietas cogit, ut te supplicio, quod præ ceteris commeruisti, surripiam; contine te domi; meæ erunt partes, quæ tibi ad salutem sint necessaria, prospicere; & cum tibi equum ad fugam attribuero, cave ne uspiam consistas, quoad principis alterius regni fines attingas. postea quæsivit, & investigavit, num illi, qui una cum fratris filio affuerant in interfectione mulieris, sceleris conscientia compulsi, commutassent coloniam; quos ubi eos esse Parisiis intellexit, amico illi suo, qui primo adolescentis consiliis obstiterat, deinde se comitem illis ducemque præbuerat, quo omnis ab eo metus suspicioque removeretur, condixit in posterum diem, qui, ut suo arbitratu, veniret; coctum enim prandium se esse inventurum, respondit. ergo, cum fratris filium, bene viaticatum, in equo collocasset, atque admonuisset, ut quantum potest, fugæ se daret, ubi jam, extra omnem

nem aleam eum arbitratus est esse, summa vi à lictorum duce contendit, ut amicum, cui prandium imperaverat, aliosque duos, sceleris ejusdem conscios, sine alio judicis mandato, comprehendi, & vinctos in carcerem condi imperaret; atrocitatem enim sceleris, quo constricti tenerentur, esse ejusmodi, ut judicis mandatum non esset expectandum, sed antea occurrendum, quam illi è manibus fuga elaberentur. quod ubi factum est, quæstione habita, confessi sunt crimen; neque ita multos post dies, crurifragio, quod supplicium omnium acerbissimum putatur, affecti. Gamorrino Rex facile pepercisset, sed quia prædæ ejusdem particeps esse voluerat, eodem atque illi, comprehensus supplicio est. ephebus, quia invitus, ac metu mortis coactus, navaverat operam domino, judicum sententiis, ex reis exemptus, abire liber est jussus.

Quod factum, mirum nobis in modum Dæmonis artes ad nos decipiendos ante oculos statuit, & ad eas cavendas, præcepta in primis bona ac salutaria præbet. Atqui, cum ille nos ad facinus aliquod vel flagitium alacriter ac strenue suscipiendum impellit, quo, suas in insidias trahat, duplici utitur artificio: primum, omnem nobis ab animo metum conatur expellere, quo sæpius à peccando deterremur, verentes, ne id, quod improbe flagitioseque fecerimus, aliquando illustretur, ac nostra ab omnibus cupiditas, scelus, improbitas, audacia, manifesto teneatur; simulque stultam illam ac falsam opinionem inserere nititur, ut credamus, perpetua illud nocte atque caligine obrutum iri, neque ullo unquam tempore ex illis tenebris emersurum. in quo noster error, stultitia, atque temeritas, satis verbis explicari non potest, qui inducamus animum, magis dæmoni credere, qui capitali à nobis odio dissidet, qui nos depressos, perditos, & extinctos esse cupit, quam Christo fidem habere, cujus in nos amori, summo ac singulari, nulla par inveniri potest oratio, qui vult omnes homines salvos esse, qui æternam nobis vitam sua morte ac sanguine peperit. ille, quo liberius libidines nostras, in omni genere intemperantiæ, fusas habeamus, ab hoc metu liberare nos studet; hic, quo cupiditates nostras faci-

facilius teneamus, dat operam sedulo, ut perpetuo hic nobis terror insideat, cum, *nihil opertum est*, inquit, *quod non reveletur, neque absconditum quod non sciatur, quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur, & quod in aurem locuti estis in cubiculis, prædicabitur in tectis.* potest ne, majore vi quisquam hunc metum in animo, ne cadat, infigere? & interdum, ubi ad crimen aliquod detegendum desunt humana præsidia, monstra atque prodigia succurrunt. nec longius abibimus; hac re, quam modo narravimus, nostra continebitur oratio. quam multa in ea occurrerunt, quæ non possunt defendi, nisi ad miracula confugiatur? primum, quantam illud admirationem habet, quod cadaver bis defossum, bis terra obrutum, incorruptam suam pulcritudinem venustatemque servaverit? nam dies aliquot intercesserant, inter ejus interitum & diem illum, quo jussu magistratus erutum ac inspectum est. deinde, cuinam credibile videatur, tum cum in agro illo, de quo diximus leviter humo conspersum jacuit, potuisse effugere vim luporum, ac canum præsertim, quibus omnis ager in Gallia, ob multitudinem ædificiorum & incolarum, abundat? postremo non ne fidem omnem excedat, potuisse cadaver, alte defossum, se sursum efferre, brachium attollere, manum, unde omnis sensus aberat, ad puellæ vestes extendere, eamque mordicus retinere? id adeo contingit, quia peccata hominum atque flagitia Deum spectatorem & vindicem habent, qui tecta & inulta ea esse non patitur; quod non sine divini numinis afflatu, (ut sic loquar,) poëta, ceteroqui levissimus, duobus his versibus, graviter & eleganter expressit;

Nec tibi celanti fas sit peccare; paranti,
Sit Deus, occultos qui vetet esse dolos.

quo nihil ab eo dictum esse verius, nihil divinius, constat; nam veritas, à quocunque est, à Deo est. non igitur quisquam, secreti fiducia, in aliquam se fraudem delabi patietur. Alter dæmonis dolus ac laqueus, in quem sæpe multi se induunt, impunitatis spes est. vix enim quisquam, cum peccat, peccati pœnas se esse daturum, excogitat, sed impune illud esse ablaturum existimat; in quo ipsi se decipiunt, qui, hac spe inflati, ad

scelus

ſcelus aliquod vel flagitium vela dant; quoniam tandem, ad pœnam ac ſupplicium, ſceleri eorum debitum, navem offendunt. nam ut vetus poëta cecinit,

Raro antecedentem ſceleſtum
Deſeruit pede pœna claudo.

LXIII. *S. Antonius, cognomento Patavinus, cuidam, ſuum auxilium imploranti, ſuccurrit.*

P. Bernardus Colnagus Soc. Ieſu, quo ego multos annos uſus ſum familiariſſime, præcipuo quodam amore ſtudioque ferebatur in D. Antonium, cognomento Patavinum; &, ſi quid ipſi à Deo opus eſſet, non alio fere patrono & advocato utebatur; neque ſolum hoc inſtitutum tenebat in ſuis rebus, ſed, ſi quem inopem, calamitoſum, afflictum, aut alienæ opis indigentem offenderat, dabat operam, ut ille per epiſtolam ſanctum virum adiret, eidemque, quæ ſibi uſui eſſent, exponeret. cum igitur, per hanc rationem, multi à Deo multa impetrarent, accidit, ut vir quidam Neapoli cum adverſa fortuna conflictaretur, adeo ut, ſi neſcio quid à Prorege, per beneficium & gratiam, non impetraſſet, afflictas atque proſtratas res ſuas ad extremum caſum venturas intelligeret. ſed cum precatores non parum multos adhibuiſſet, nihil plane profecerat. itaque prope erat, ut animum deſponderet. perſuaſit huic Bernardus, ut ſupplicem libellum, quem Proregi oblaturus eſſet, in aram D. Antonio dicatam imponeret, ac rem totam illi committeret; fore enim, ut brevi præſentem ejus vim auxiliumque ſentiret. paruit ille; ac ſtatim conſecutum eſt, quod Bernardus fore prædixerat. nam illo ipſo die, ſi recte memini, qua hora omnes ad proregem aditus obſepti, atque adeo intercluſi ſunt, penetraſſe in proregis cubiculum intimum Franciſcanus quidam dicitur, veneranda facie, atque ea vi, eo ardore animi atque verborum, calamitoſi illius cauſam egiſſe, ut Prorex victus nihil eidem poſtulanti negare ſit auſus, eo autem fores egreſſo, evocaſſe illos, qui ad fores cubiculi vigilias agerent, objurgaſſeque, quod tam alieno tem-

por

pore Franciscanum illum intromisissent; at eos sancte affirmasse, neminem ab ipsis visum, neque Franciscanum, neque ex alia quavis familia; tum Proregem admiratum, quievisse; sed postea, re patefacta, ac tota Neapoli celebrata, vix tandem intellexisse, se cum D. Antonio collocutum fuisse, & spirituali gaudio refertum, ingentes Deo gratias egisse. Hæc ego ante annos triginta, recenti negotio, ac eodem P. Bernardo adhuc superstite, Romæ à Neapolitanis atque aliis compluribus accepi.

LXIV. *Defunctus quidam, qui secus quam decuerat, vixerat, servo suo se videndum præbet.*

QVod non omnia nobis in morte pariter cum vita tollantur, sed diverso itinere, boni à malis, ad æterna vel supplicia vel præmia contendant, multis sæpe visis, omnibus fere seculis Deus ostendit; ut quodammodo jam sit obscurius, lucere meridiem, quam animas hominum esse sempiternas. Non multis ab hinc annis, vir quidam nobilis Romæ decessit; cujus nomen, quoniam satis est per se notus, ac plurium illustrium virorum affinitatibus implicatur, à me reticebitur. huic famam, existimationem, ac præterea patrimonium libidines totum absumpserant. itaque vita functus, humatus est in Æde D. Augustini; quo cum paucis diebus post, orandi causa, venisset familiaris ejus quidam, qui suas operas vivo illi locaverat, jamque pedem è templo foras efferret, sensit se nomine appellari; respexit, & obscuram hominis cujusdam imaginem vidit, quæ, Nosti me? inquit; ego sum ille, cui servus navabas operam vivo; ne Deum pro me ores; etenim exorari non potest, quod æternis addictus sum ignibus; abi, & cognatis amicisque nuncia meis verbis, ut aliam vitæ rationem ineant, neque meis me vestigiis persequantur. quibus auditis, adeo ille totus exhorruit, ut non ultra triduum vitam produxerit; cum antea rem ad amicos detulisset. idque ego, recenti tum etiam re, audivi.

LXV. *Hebræus, capitis sententia damnatus, susceptis Christianis sacris, mortem æquo animo subit.*

MAgna profecto in dolore metuque vis inest, ad revocandos à vitiis homines, & ad honestatem traducendos; sed nisi timori succedat amor virtutis, simul ac periculum abest, & licentia consecuta est, continuo omnis illa timoris vis residet, & peccandi studium, celerius quam abactum fuerat, redit. *metus* enim, ut inquit Cicero, *non est diuturnus magister officii.* quid est, quod Deus impium illum Antiochum tam multa tamque præclara pollicentem contempserit, neque audire voluerit, nisi quod intelligebat, magnifica illa promissa, non anteactæ nequiter vitæ pœnitentiam elicere, sed studium recuperandæ sanitatis exprimere? etenim, si convaluisset, eundem, qui semper fuisset, ac fortasse aliquanto etiam nequiorem improbioremque futurum. attamen inventi sunt aliqui, quos fractæ ipsorum res, aut præsens aliquod periculum, vere cum Deo in gratiam reduxerunt, qui, ne viderentur exilii, vel mortis, vel alterius cujuspiam periculi declinandi causa potius, quam Dei amore studioque, ad ipsum confugisse, neque voluerunt mala illa deprecari, neque, cum possent, effugere; ut Hebræus quidam, quo tempore Octavius Bandinus, qui postea à Clemente VIII in collegium Cardinalium cooptatus est, civitati Bononiæ cum imperio ac potestate præerat. de quo Præsule libet interponere, etsi sejunctim à re, ita eam Remp. administrasse, ut multis justitiæ, æquitatis, prudentiæ, & in primis abstinentiæ, continentiæque suæ tamquam vestigiis impressam reliquerit. cujus continentiæ, illud insigne accepi ab eo, qui tum illi erat à cubiculo, eundemque adeuntibus velum allevabat. cum, die quodam, ut consueverat, adeundi sui potestatem omnibus fecisset, oblatam à puero epistolam, in morem supplicis libelli complicatam, accepit; quam postea cum legeret, invenit in ea scriptum, forma egregia mulierem, si jussisset, proxima ad eum nocte venturam.qua re plane vehementer

ter exhorruit, ac ſublatis in cælum oculis, ſibi pectus ſalutari crucis ſigno munivit; tum, elatus ira, ſceleroſum illum evocari juſſit. at ille, quaſi prædivinans, quid futurum eſſet, è conſpectu evolaverat, neque viſus eſt uſpiam. ſed redeo ad Hebræum.

Hic manifeſto in flagitio cum puero Chriſtiano deprehenſus, quod crimen inficiari non poſſet, judicum ſententiis damnatur ad mortem; qui ſtatim cœpit ſumma vi petere, ut ſacro baptiſmatis fonte ablueretur: ſe enim nolle, niſi Chriſtianum, ex hac vita decedere. ac ne exiſtimarent homines, Chriſtianæ religionis ſimulatione aliquod mortis effugium exquirere (nam eccleſiæ mos eſt, Iudæis, aliiſque vere religionis expertibus, ſi Chriſtiana ſacra recipiant, quamlibet noxiam, quantumvis capitalem, dimittere, eoſdemque ex reis eximere,) ne tale, inquam, aliquid de ſe homines ſuſpicarentur, vetuit ſibi ignoſci, æquiſſimoque animo, mortis ſupplicio, ſuis flagitiis debito, caput objecit; atque ægre impetratum eſt ab eo, ut nollet, ſicuti decretum fuerat, ſuſpendio ſibi animam adimi, ſed pateretur ſaltem ſe honeſtiori mortis genere affici. itaque baptiſmo, ex ipſius voto, luſtratus, candidis ita ut erat veſtibus de more indutus, morti ſe obtulit; & cum antea, non pauca pœnitentis animi & divini amoris igne ſuccenſi ſigna dediſſet, dulciſſimum Ieſu Chriſti nomen identidem invocans, ſecuri caput objecit, atque animam ei, à quo redemptus fuerat, reddidit.

LXVI. *Turca moriens, ſubita baptiſmi cupiditate corripitur.*

SImilis baptiſmi voluntas divinitus indita Turcam quendam, morti proximum, cepit. Narrat Alexander Zambeccarius Bononienſis, miles Hieroſolymitanus, claſſem Melitenſem adverſus prædones ſolviſſe, ac proxima illi inſulæ maria excurrentem, in Turcarum triremes incidiſſe; quamobrem fuiſſe neceſſe, cum illis prælio contendere; in quo multum utrinque fuſum eſt ſanguinis; verum, Dei beneficio, noſtros ſuperiores diſ-

ceſſiſſe; ſed poſtea, prælio confecto, cum ſaucii curarentur, animadverſum fuiſſe, inquit, unum ex captivis Turcam, multis confectum vulneribus, in ultima triremi jacentem, atque, ad eum curandum, medicum quoque miſſum fuiſſe, ſed, proxima nocte, excitatum à ſomno, cœpiſſe illum clamare, ac ſacerdotem ſumma vi petere, à quo baptiſmatis lavacro ablueretur; nam velle ſe Chriſtianam fidem amplecti; cumque concurſus ad eum fierent, ac de eodem quæreretur, quæ nova illi res eam mentem injeciſſet, reſpondiſſe, ſibi viſam eſſe, in quiete, mulierem egregia forma, ac veſte indutam candida, dicere, ut ſi ſalvus eſſe vellet, aliquem advocaret, qui Chriſtianis ipſum ſacris imbueret; quapropter ſe tanta fuiſſe baptiſmi cupiditate inflammatum, ut ejus deſiderii æſtum ferre non poſſet; itaque eum ſtatim ſacro fonte ablutum fuiſſe. illud vero idem Zambeccarius, de hoc homine, novum & incredibile narrat, quod etiam ſuis ſe oculis accepiſſe teſtatur, quod ſimul ac ablutus eſt, ex atro fœdoque eam repente pulchritudinem candoremque contraxiſſet, ut omnia in eo Angeli, quam hominis, ſimiliora viderentur.

LXVII. *Adverſus res noſtras arduas atque difficiles, multum eſſe præſidii in orationibus juſtorum.*

QVod deprecatio juſti aſſidua multum poſſit, cum aliàs ſæpiſſime, tum noſtra memoria in muliere quadam, quæ, paucis ab hinc menſibus, Neapoli diem obiens ſupremum, magnam ſanctitatis ſuæ famam reliquit, apparuit. hac enim poſtulante, fere nihil erat, quod à Deo homines non impetrarent. de qua, ceteris omiſſis, illud commemorabo, quod paucis ante ejus mortem menſibus accidiſſe, narravit P. Io. Matthæo Ancinæ mihique vir religioſus, qui tum erat Neapoli. Hæc, propter eximiam ejus ſanctitatem amicitiamque cum Deo, fiebat ut à pluribus, in ſuis rebus adverſis, patrona atque advocata apud Deum expeteretur. ſed ex ceteris, qui in ejus opem præſidiumque confugerunt, mulier

mulier fuit vidua, cujus filium judices, ob nescio quam fraudem capitalem, capitis condemnaverant. ab hac illa multis cum lacrimis exorata est, ut filii salutem à Deo precibus obtineret; quam illa fidenter, bono esse animo, jussit; nam suum propediem filium domum ad ipsam reversurum; Deum enim salvum ac servatum eum velle. sed cum jam dies accessisset, quo die, ex judicis decreto, sumendum erat de illo supplicium, & carnifici traditus, ad mortem raperetur, curriculo mater ad mulierem abiit, atque ejulans, seque diverberans, Ita ne, inquit, filius domum se recipiet, qui in laqueum collum inseruit, ac mox vitam suspendio finiet? at mulier, nihil sane commota, Ajo, inquit, mortem illum non obiturum, sed tibi mox domi salvum affuturum; tu interim, genibus nixa, precibus ac lacrimis, Dei matrem ora, ut sit propitia. jam ille stipatus lictorum turba, ac medius inter duos reos, ad supplicium ducebatur, cum conspectus est, ab uxore Proregis, quæ una cum viro, è fenestra, funestam illam pompam, illac prætereuntem, intuebatur, atque hominis misericordia supra modum capta, cœpit à Prorege summa vi petere, ut ejus rei sibi gratiam faceret. ille, qui uxorem diligeret, ac fortasse non minori intus animi sensu commotus erat, quo ab uxore gratiam iniret, imperavit, ut reus ille clam ab aliis subduceretur, ne qua populi admiratio vel motus oriretur, ac, demptis vinculis, sineretur abire quo vellet. qui statim ad parentem reversus, argumento fuit omnibus, quantum sanctissimæ illius mulieris preces, quibus mater se commendaverat, apud Deum ponderis habuissent.

LXVIII. *De duobus improbis liberis, qui matrem verberaverant.*

QVanto quamque inexpiabili scelere se alligent ii, qui tam projecti sint ad audaciam, ut parentes verberare sustineant, satis edita in eos exempla declarant, de quibus antea commemoravimus; quibus alii duo adjicientur, qui in eandem fraudem delapsi, pœnas dederunt.

Quidam, per iracundiam, colaphum matri magnum impegerat; quæ mater, tantum filii in se facinus execrata, Tam impia, inquit, dextera digna est, quam ego recisam aspiciam. neque hoc matris dictum tam imprecationis, quam vaticinii, vim habuit. nam ille, morbo animi, in insaniam delapsus, die quodam, sicut facere suadebat furor, in proximam lanienam accurrit, ferroque, quod de lanii manibus abstraxit, sibi dexteram abscidit; quo facto, eas ipse à se se impietatis suæ pœnas exegit, quibus eum mater dignum esse prædixerat. Alter itidem Romæ, qui fuerat in matrem contumax, ac pugnis eam contuderat, subito oppressus morbo, ejus vim ferre non potuit. nam, qui tanto se scelere contaminarunt, haud vitales sunt, sed plerumque in ipso ætatis flore rapiuntur. Deus enim, cum vitæ præcepta hominibus traderet, postquam legem de colendis parentibus dedit, iis, qui præcepto obtemperassent, diuturnam & affluentem bonis omnibus vitam promisit: at ille de quo loquimur, ferme jam moriens, sacerdoti peccatum suum aperuit, ac Deum ex animo, ut propitius esset, oravit; quem hac lege sacerdos absolvit, ut demissis ac supplicibus verbis, parentis pacem exposceret. sed extinctus est antea, quam posset ad eum mater accedere; & sepultus est in cœmeterio Basilicæ Apostolorum principis proximo, quod campum sanctum appellant. sed postridie visum est id brachium extare ac prominere, quo matrem verberaverat. quam rem ejus custodes ecclesiæ vespillonum incuriæ tribuentes, demittendum humoque contegendum curarunt; sed cum altero ac tertio die brachium illud foras projectum extare conspiceretur, venit matri in mentem, id adeo contingere, quod, temporis angustiis exclusus, admissi in se sceleris veniam impetrare non potuisset. venit, & clare, Hanc tibi, inquit, noxiam, & aliam, quamcumque admiseris, mitto; quiesce. quibus dictis, continuo brachium illud, ad reliquum corpus adductum, se continuit, neque amplius foras emersit.

LXIX. *Dens S. Francisci de Paula, crystallo inclusus, osculo meritricis tactus, abrumpitur.*

NIhil est tam fœtidum, neque tam turpe, quam vitium libidinis; adeo ut hoc vitio contaminatos Dei Sanctorumque oculi refugiant, nec videre sustineant. tritum est illud de Eremita, & Angelo itineris comite, qui cum offendissent in via projectum fœtidum quoddam canis extinctæ cadaver, cujus odorem Eremita ferre non posset, nullum Angelus nauseantis signum ostendit; at cum postea incidissent in adolescentem ornatum, elegantem, unguentatum, cujus odore Eremita ille recreari videbatur, Angelus se in contrariam partem convertit, & sudario nares obduxit; non aliam ob causam, nisi quod esset impurus ac libidini deditus. quamobrem scite admodum eleganterque scriptum est à D. Ambrosio, de capite Io. Baptistæ, mulieris impuræ rogatu, à cervice præciso, & in illud funestum Herodis Regis convivium allato, quod clausa haberet lumina, non tam mortis necessitate, quam horrore luxuriæ; tanquam si minorem ille dolorem ex ipsa morte caperet, quam ex duorum impudicissimorum capitum accubitu atque conspectu. Hæc cum ita sint, Neapoli, in urbe totius Campaniæ multo maxima locupletissimaque, in Æde religiosissima S. Francisci de Paula, dens ejusdem, crystallo inclusus, asservatur, ac summa populi totius religione colitur. hic dens, die ejusdem sancti viri festo, omnibus spectandus exosculandusque proponitur; ad quem osculandum mulier meritrix cum accessisset; vix crystallo illi labra admovit, cum dens tenuem quendam sonitum edidit, ac statim inventus est disruptus, ac duas in partes ex æquo divisus. quod fuit indicio, quantum vir ille sanctissimus, & castitatis cultor eximius, impudici illius oris osculationem, vel potius accessum, formidaret atque refugeret.

LXX. *Librorum inutilium tractationem interdum morborum causam existere.*

STanislaus Hosius, S. R. E. Cardinalis, & Episcopus Varmiensis, fuit, ut omnes norunt, dum vixit, exemplum innocentiæ, virtutumque omnium; de cujus viri sanctitate, multa, memoria & admiratione digna traduntur; sed illud in primis, quod singulis feriis sextis, quo fieret aliqua ex particula socius earum passionum, quas Christus pro omnium salute sustinuit, jubebat se nudum ad lectuli sui columnam alligari, atque à præfecto cubiculi, cujus ille fidei multum tribuebat, tantisper flagellis cædi, quoad sanguinis rivi defluerent. erat præterea Christi pauperum studiosissimus, adeo, ut fere quotidie ingenti illorum multitudine, ejus ædes complerentur; quibus, de œconomo suo, cui partiendæ inter eos pecuniæ partes attribuerat, tanquam per jocum ajebat, Nisi erogaverit vobis eleemosynam, nolite eum recipere in æterna tabernacula. hic vir igitur, sanctitatis laude clarissimus, acceperat, virum nobilem ex amicorum numero, graviter ægrotantem, libris delectari, turpi argumento conscriptis, atque in eorum tractatione tempus, rem omnium pretiosissimam, fallere. quamobrem statuit eum invisere, non tam ut officium illud amico præstaret, quam ut illius animæ, periculosius laboranti, succurreret. Venit igitur ad eum, rogat, ut valeat; respondet ille, molestissima se febri jactari, neque posse partem ullam quietis accipere. quærit, num, saltem fallendi temporis gratia, elegantis cujuspiam libelli se lectione oblectet; & eadem opera inspicit in cervicali libellum; sumit, aperit, legit, atque eundem flagitiose ac nequiter scriptum invenit; tum in eum intuens, Quid mirum est? ait, si tibi valetudo decrescit, & morbus fit amplior, qui hoc scriptorum genere delecteris? si aliud nihil in vita commeruisses, solum hoc flagitium gravius, quam nunc est, esset animadvertendum; remove te ab his studiis, & cum iis libris te libenter oblecta, unde melior ac doctior evadas. ad hæc, alia etiam non pauca addidit, quibus impuros ei libros

in

in odium & contemptionem adduceret; illud magis laborans, ut hominem amicum, animi, quam corporis morbo, levaret; neque operam perdidit. nam amicus, ea objurgatione acriter verberatus, perniciosum illum libellum Vulcano mandavit, atque, eodem puncto temporis, tanquam si materiam morbi ejecisset, à se febrim una discussit.

LXXI. *Deum non irrideri.*

QVid sit periculi, velle Deum fallere, & quantam fere semper vim malorum in se attrahant ii, qui id conantur efficere, exemplo sunt infelices eorum exitus, qui vota, quæ pro sua salute fecerant, non persolverunt, vel religiosorum hominum claustra, ad quæ confugerant, deseruerunt, vel pollicitationes, Deo factas, præstare contempserunt.

Multis ab hinc annis, virgo erat nubilis, quæ proposuerat, in aliqua sacrarum Deo Virginum domo, virginem castam exhibere se Christo; ac fortasse ad id etiam voti se religione obstrinxerat, ac plurimos ejus rei conscios habebat; at repente, mutata voluntate, animum ad connubium adjecerat; atque omnibus horis D. Catharinam virginem & martyrem summa vi orabat, ut aliquam sibi conditionem, se dignam, objiceret. hanc enim sanctissimam virginem sibi puellæ patronam ad nuptias conciliandas adoptant. quam Virginem cum ejusdem diei natalis pervigilio enixius deprecaretur, simulacrum illius fictile, ad cujus pedes in preces fusa jacebat, nullo impellente, est in terram delapsum, & quà parte cum capite collum adnectitur, fractum. neque eam rem ostentui habuit, verum ardentiori etiam conjugii cupiditate flagravit. sed tandem, quod voluit, impetravit; & sponsum nacta ex animi sui sententia, cum, nova nupta, in viri domum rheda adveheretur, jamque ad eam pervenisset, cum vellet descendere, pede lapsa est, eoque casu in ipso ædium sponsi limine collum perfregit, statimque è vita migravit.

LXXII. *Deum solum esse, qui possit à nobis animi corporisque morbos expellere; neque quemquam ex hominibus esse, tanta potentia præditum, in quem ea res cadat.*

P. Franciscus Maria Taurusius Congr. Oratorii, qui postea à Clemente VIII, ob singulares ejus animi dotes, relatus est in numerum Cardinalium, de quodam Rege narrabat, qui aulicum quendam suum voluit acerbissimis corporis doloribus distractum invisere; quem cum hortaretur ut aliquid peteret; nihil enim non ab ipso, qui Rex esse, non impetraturum; tum illum petiisse, ut eos sibi dolores adimeret, vel saltem leviores efficeret; sed cum respondisset Rex, neutrum illorum in manu sua esse, illum sublatis in cœlum oculis ac manibus exclamasse, Me miserum, qui tot illi annos fideliter servio, qui, ne minimam quidem partem potis est mihi, de dolorum acerbitate, quibus crucior, eripere; at posthac, si me ad sanitatem perduci contingat, certum est ejus amicitiam & imperium persequi, qui possit mihi, de salute dimicanti, succurrere. sed votis non respondit eventus. etenim est magnitudine morbi consumptus. quod exemplo esse omnibus debet, ut, dum tempus & occasio suppetit, illi nos domino in servitutem dicemus, qui possit salutis vitæque compotes facere.

LXXIII. *Puer impudicus, Deo ita permittente, jugulatur ab eo, cui erat corporis obsequio devinctus.*

IO. Baptista Gratiolius Rinaldinius, patritius Anconitanus, qui pluribus annis versatus est in aula magnorum Etruriæ Ducum, narravit mihi, paucos ante annos Pisis, unum è numero tabellionum, amasse turpius, quam par erat, singulari puerum forma, atque eatenus zelotypia insaniisse, ut eum cogeret, non modo cujusvis alterius

alterius amicitiam, verum etiam aditum sermonemque defugere; interim illud incidisse negocium, ut tabellio Pisis extraheretur, ac biduum, ea ab urbe, abesse cogeretur, sed, dum ille abest, puerum qui ob eximiam pulchritudinem ab aliis item expetebatur, fuisse à quibusdam invitatum, vel potius precibus atque adeo vi adductum, ut cœnaret foris; sed cum tabellio, re confecta, domum revertisset, cœpisse puerum interrogare, interea dum ille abfuisset, quid rerum egisset, ubi fuisset, quibusque se dedisset; at puerum, veritum, ne ille aliunde rescisceret, non habuisse eum celatum de cœna; quamobrem magnas inter eos lites esse ortas; sed dum litigant, dum se puer excusat, contra tabellio verbis male puerum accipit, urget, impulisse eum ait ad fores quarumdam ædium, ac percitum ira ac zelotypia, ea vi pugionem demisisse illi in jugulum, ut foribus illis, tanquam clavo quodam affixum hærentemque reliquerit. quod exemplum videtur voluisse Deus in eum puerum edere, quo discant adolescentes honestius pudicitiam habere, ac possidere vas suum in honore & sanctificatione, non autem in impudicitia & contumelia.

LXXIV. *Lepidum Philippi* III, *Hispaniarum Principis, ad. Philippum patrem, de illius potentia, responsum.*

QVam angustum in gyrum, Regum vel maximorum potestas compellatur, lepidum ac sapiens regii cujusdam pueruli dictum ostendit. Philippus II, Hispaniarum Rex, non suæ modo ætatis Regum, sed longe etiam superioris multo maximus atque clarissimus, cum venandi studio adductus in agrum exisset, atque una secum filium admodum puerum adduxisset, dum eos maxime venationis voluptas detinet, subitus imber oppressit; tum puer orasse dicitur patrem, ut imperaret, nubibus ac cælo, ne plueret; Regem vero respondisse, nihil hoc suum ad imperium attinere, sed longe superioris potestatis esse, imbrem cohibere, vel removere.

quibus

quibus intellectis, ille, qui nimirum de patris potentia tam multa tamque admirabilia prædicari perceperat, Quid audio, inquit, ô pater, tam parvam rem præstare non potes? quid si aliud aliquid majus postulassem? jam plane, te nihil posse, comperio. ita est, ait pater, Deum igitur metue, qui plus omnibus potest.

LXXV. *Gravissima duorum liberorum supplicia, quorum unus patrem damno & contumelia, alter verberibus matrem, affecerat.*

MAximus improborum filiorum numerus efficit, ut sæpius incurramus in eos, qui parentibus de se optime meritis pessimam gratiam retulerunt.

Refert. P. Iacobus Fuligattus Soc. Iesu, quo anno, in oppido Sabinorum, Turri nomine, sacras Quadragesimales conciones ad populum habebat, oppidanum quendam, quem parens suus, damno & contumelia ab ipso affectus, diris execratus fuerat, sibi narrasse; se, cum inambularet in foro, à tetro & immani quodam spectro comprehensum fuisse, & male multatum ad terram abjectum, & inde pro mortuo fuisse sublatum; verum cum aliquandiu sine sensu ac sine mente jacuisset, tandem ad se reversum, intellexisse, eam sibi calamitatem execrationes patris, cui debitum honorem cultumque non exhibuerat, attulisse, ac vereri, nisi expiaretur, ne sæpius teterrimi illius monstri vim experiri cogeretur, ac diris tandem exemplis pessime ab eodem excruciatus necaretur.

Alter, cujus in matrem crudelitas, non tantum intra verba constiterat, sed etiam progressa erat ad verbera, eamque pulsaverat, novo quodam insaniæ genere correptus est. hic putabat, ex homine se esse conversum in bestiam; quamobrem fugitabat hominum societatem; cubiculis, lectis, uti nolebat; cibos, ad hominum vitam institutos, æque horrebat; solum equorum stabula vel bovilia adamabat; ibi perpetuo se continebat. ne multa, quoad vixit, stabulis inclusus, una cum aliis quadrupedibus fœno victitavit & hordeo. Atqui

divina in impium ac sceleroſum illum hominem animadverſio fuit illa quidem gravis atque atrox; ſed ſi ſceleris magnitudo æſtimetur, infra ejus meritum invenietur eſſe. nam qui immanitate feras etiam beſtias ſuperaſſet, meruerat, ut canibus, vel potius leonibus objiceretur, à quibus dilaceratus atque diſcerptus, eſſet omnibus exemplo, qui impias in parentes manus injiciunt, neque eum illis exhibent honorem cultumque, quem debent.

LXXVI. *Homines libidinoſi ſubita interdum morte rapiuntur.*

INcontinentiæ ac libidinis vitium eſt ejuſmodi, ut, niſi ab ineunte ætate reprimatur, ac procul à nobis eſſe jubeatur, ſe ſe in animum influat, eundemque, quibuſdam quaſi vinculis alligatum, uſque ad extremum vitæ ſpiritum habeat in poteſtate. ad hæc animadverſum eſt, eos, qui ſe libidinibus conſtringendos tradidiſſent, ſubita ſæpe morte oppreſſos, nullum vel ſaltem exiguum ad ſe comparandos ſpacium obtinuiſſe.

Pictor quidam, omnium omnis fere ætatis multo præſtantiſſimus, Leoni x Pont. Max. ob eximiam ejus artis ſcientiam ſumme carus, feria IV majoris hebdomadis, in villam Vaticano proximam ſeceſſerat, ut eſſet ibi cum muliere, apud quam ejus erat animus clavo cupidinis fixus; ubi cum totum illum diem, quo ſacra redemptionis noſtræ myſteria, ſumma omnium cum religione, celebrantur, flagitioſe ac nequiter contriviſſet, veſpere, ex intemperantia, in febriculam incidit, ac delatus domum, atque accerſitis medicis, intterrogatus eſt ab eis, quibus fortaſſe notus erat ejus animi morbus, num quid intemperanter feciſſet. negavit ille, pudore fortaſſe deterritus. tum medici ſanguinem mittendum decreverunt; quo miſſo, tum ille veram morbi cauſam aperuit, neque fuit quiſquam, qui de ejus ſalute deſperandum non judicaret; nec perperam; nam poſtridie, ſummo Pontificis aliorumque, qui ejus artificio delectabantur, cum mœrore, tanquam per ludum jocumque deceſſit.

Alter

Alter item, cui magnum erat in pictoribus nomen, octuaginta fere annos, hoc immersus cœno, confecerat; verum, die quodam, cum nihil minus cogitaret, repente exanimatus concidit.

Sacerdos quidam à confessionibus mulieri, quæ longum cum nescio quo viro commercium habuerat, neque ab eo distrahi poterat, sæpius conatus erat persuadere, ut flagitiosam illam societatem dirimeret, ac saluti animæ suæ consuleret. at mulier, crebris boni illius sacerdotis cohortationibus, atque etiam objurgationibus victa, pollicita est, se morem illi gesturum; sed aliquod ad eam rem spacium expostulavit, quod cuperet, veterem cum eo, cui consueverat, usum amicitiamque potius dissuere, quam dirimere; stulte prorsus atque inepte. etenim ejusmodi vinculorum genus, non dissuendum, sed distrahendum est ac præcidendum; aliter enim nulla se ab eis expediendi ratio relinquitur. quod ita esse, in ea ipsa muliere res docuit; nam cum prolatando, ac diem ex die ducendo, rem sibi difficiliorem indies redderet, neque inveniret, quomodo, quæ fecerat promissa, impleret, ea, ex improviso, cunctantem vis morbi oppressit, ut omnibus fere sensibus amissis, nec satis compotem mentis, vix sacerdos adduxerit, ut, manus vel oris significatione aliqua, indicaret, se velle peccata confiteri.

LXXVII. *Bona Ecclesiæ in pauperum usus dividenda sunt, non autem ad proprias utilitates cogenda.*

CVm avaritia, quæ pecuniæ studium habet, in quovis hominum genere digna sit reprehensione & odio, tum maxime execrabilis est in sacerdotibus, quorum sunt partes pecuniis ecclesiæ, pauperum inopiam alere, Dei ac Sanctorum suorum templa reficere, atque alia ejusmodi pietatis opera exequi. quo fit, ut, justo Dei judicio, non parum sæpe contingat, eos, qui sunt ad rem nimis attenti, ex lethali aliquo morbo animam agentes, ab omnibus desertos expilatosque, in summa egestate atque inopia diem obire supremum.

Anno

Anno salutis MDXCVII, Antistes quidam Neapoli, cum graviter ægrotaret, excessit è vita; qui, quanquam cæteroqui vir probus, attamen ex annuis ecclesiæ suæ pecuniis multa aureorum millia congesserat, eaque trapezitæ cujusdam fidei crediderat, qui in ea urbe argentariam non ignobilem faciebat; præterea supellectilem sibi propemodum regiam comparaverat. hic, cum ejus fortasse consilia ad honestum finem spectarent, à sede Apostolica impetraverat, ut sibi testamenti condendi jus esset; nam ejusmodi homines, qui se ex bonis ecclesiæ locupletarunt, sacris summorum Pontificum constitutionibus, intestabiles esse jubentur. sed dum cunctatur testamentum facere (communi omnium fere hominum vitio, qui tum mortem existimant suis ab ædibus procul abesse, cum ea plerunque in foribus adsit,) dum, inquam, cunctatur, incidit in languorem, cujus vi, pene subito abreptus est, & translatus ad plures. eo mortuo, continuo sedis Apostolicæ nomine, in illa multa aureorum millia factus est impetus, & ornatissima illa supellex distracta atque divendita; quo factum est, ut ille miser pene relictus sit nudus, hoc est, solo Capuccini habitu tectus, ac tenui cum cereo, quod unicum ipsi lucebat ad caput; neque ex tam multis facultatibus, tantum relictum, quantum satis esset ad piaculare sacrum pro æterna illius salute faciendum; & nisi magister quidam Cherubinus Augustinianus, veri amici functus officio, multa pro eo sacrificia Deo gratis offerenda curasset, in summa omnium oblivione jacuisset.

LXXVIII. *Vix fieri posse, ut, qui fœde flagitioseque vitam instituit ac prosequitur, non etiam eadem celeriter atque infeliciter devolvatur.*

VIx potest contingere, ut, qui totum vitæ suæ tempus, libidinibus suis explendis, consumpserint, nec ullum sceleris, flagitii, vel turpitudinis genus à se alienum duxerint, non etiam celeriter similem reliquæ vitæ exitum consequantur. neque est, quod quisquam, cui

cui constitutum sit, in omnia se se flagitia ingurgitare, latronis illius exemplo, qui, cum ipse in cælo, una cum reliquis beatorum mentibus, agat ævum, tam multos ad æterna inferorum supplicia sedesque detrudit, suam confirmare audaciam, corroborare impudentiam studeat, pro certo existimans, mortis tempore fore sibi, sicut & illi, cælum apertum ac patens. nam si velit replicare memoriam temporum, vix unum aut alterum inveniet, cui id recte processerit, hoc est, qui, cum turpissime flagitiosissimeque vitam exegerit, sanctorum morte decesserit. neque, si secum agere ratione valuerit, fieri posse fatebitur, ut eo quisquam perveniat, unde diversum iter habuerit, ut videlicet ad æternæ salutis portum provehatur, qui omnibus, ut ajunt, velis remisque, recta ad damnationis scopulos navim impulerit. Narrabo breviter hominis unius, inde usque ab ineunte ætate ad ultimum vitæ diem in omnium vitiorum luto demersi, infelicem ac dignum ejus moribus exitum vitæ. hic Auximi natus, patre, ut fama est, viatore, à prima ætate, equestribus sellis conficiendis, sibi victum quæritavit; sed postea, operæ laborisque pertæsus, militatum abiit, ac pluribus imperatoribus navavit operam miles. omnibus se flagitiis ac sceleribus ita inquinaverat, ut illi anteferretur nemo; aleator dolosus ac fraudulentus; qua arte plures bonis everterat, quibus ipse locupletatus, vestitui ac genio largius indulgebat; præterea adulter, ganeo, sicarius, fur manifestus; ac multorum hominum cædes, atque insignia quædam furta, Camerini perpetrata, non alteri nisi ipsi tribuebantur; nihil pensi habebat, diras in Deum execrationes singulis fere verbis jaculari; quibus, etiam in amicorum conventibus, non abstinebat. lingua enim, longo in eas usu incitata delabebatur. quid opus est verbis? erat vitiorum omnium facile princeps; in vetitos autem puerorum amores ita propensus, ut, inter cetera ejus flagitia, forma egregia puerum, à domo atque à parentibus abductum, in varias orbis terræ regiones abduxerit, secumque habuerit; qui postea robustior factus, ab ejus se societate amicitiaque distraxit, & quoniam erat omnium illius scelerum conscius, venit homini in suspi-

suspicionem, ne omnia illa detegeret, sibique negocium periculumque facesseret; quamobrem, ut hac se suspicione liberaret, summam dedit operam, ut insidiis adolescentem opprimeret; qui, ut erat paratissimus ad cavendum, eas effugit. duas habuit uxores, sed ab nulla earum liberos suscepit; quod divino prope consilio factum esse arbitror, ne tam scelerari hominis progenies in posteritatem propagaretur, ac pro uno improbi plures Reip. substituerentur. verum cum, homo teterrimus, veteribus flagitiis aliquem semper cumulum adderet, cumque completa ejus esset malitia, hoc est, omnes suos numeros obtineret, vocata est à Deo in judicium & condemnationem. qui quidem Deus, pœnas ab eo expetiturus, tamquam nocturnus fur, ut Petrus inquit Apostolus, venit; videlicet cum altiore quam unquam solitus erat somno, peccatorum suorum tenebris involutus obdormiret, ac de vita hilariter sumenda, ut cum maxime, cogitaret. Etenim cum ita res suas constitutas haberet, agro, pecunia, domo, familia, ut non alias ipsi magis expediret vivere, sponte occasioni, qua sublatus est, obviam ivit, ac malam rem sibi suo, ut dicitur, jumento, accersivit. complures antea honestos homines læserat, injuriis lacessiverat, contumeliis oneraverat, vulneribus ac plagis affecerat, ad mortem dederat, neque inde, mali quidquam sibi vel damni creatum fuerat; sed ecce subito, homo omnium infimus ac sordidissimus, paucorum custos vervecum, suas & aliorum est ultus injurias, hoc modo: æstate quadam, ruri cum esset, nullam fere ob causam cœpit esse villico molestus, injurias & contumelias imponere, eductoque gladio mortem minitari; cumque rusticanus ille perquam humilibus ac demissis precibus, genibus etiam nixus, ut sibi parceret, exoraret, neque, tam levi de causa, gravius quidquam statuere in ipsum vellet, homo sævus & iracundus nihil movebatur, nihil de arrogantia insolentiaque sua remittebat, sed, tanquam ille, ea animi demissione atque modestia, majores ipsius iracundiæ faces subderet, confidentior contumaciorque fiebat, & cum impetu facto, iret, ut gladio eum transverberaret, ille, qui non alia ratione se vitamque suam periculo

posset eripere, educto cultello, quem apud se è zona pendentem habebat, rejecit se in eum audacter, ac duo lethalia eidem vulnera inflixit; nec fuit homini magnopere elaborandum ut totum viscera cultrum exciperent, cum corpori pene nudo infigeretur; etenim ille, ob anni tempus fervidissimum, femoralibus ac thorace, tenuissimo ex lino confecto, indutus incedebat, quæ vestium genera, ob tenuitatem, statim vulneri locum aperiunt. quibus vulneribus acceptis, cum ad terram concidisset, continuo elatus est à familiaribus in domum, & in lectulo collocatus. qui cum, quanta vi possent, instarent, urgerent, ut ante quam è vita decederet, sacramento pœnitentiæ, maculas peccatorum elueret, & Christi corporis viatico instructus, universæ carnis viam ingrederetur, magis id adeo ut illis gratificaretur, quam quod ita ejus voluntas ferret, sua sacerdoti peccata aperuit, & sacrosancta eucharistiæ mysteria sumpsit; quod precibus illorum magis, quam sua voluntate, quoquo modo, vel dicis potius causa, fecisse, id, quod statim est consecutum, ostendit. nam cum in eo esset, ut animam exhalaret, atque ardentissima incensus siti, frigidæ haustum exposceret, allatus est ei cyathus aquæ, quam & parvam esse, neque ita frigidam ut vellet, diris execrationibus est questus; quibus illi, qui attulerant, exterriti, curriculo abierunt, & situlam frigidissimæ plenam retulerunt; qua ille avidissime hausta, aquæ ejus rigor, cum se in venas diffudisset, omnem caloris naturalis vim, quæ reliqua in corpore fuerat, extinxit: ac dum suo jussu ex uno cubiculo in alterum transferretur, in medio, inter utrumque cubiculum, conclavi, inter deferentium manus, excessit.

LXXIX. *Duos sacerdotes, unum lingua, alterum oculis captum, ob eximium illorum erga sacram Eucharistiam studium Deus idoneos ad sacrificandum reddit.*

QVam gratus, quamque acceptus sit Deo, sacerdotum illorum ardor, ac pietas, qui, quantum homini

ni mortali fas est, quotidie, summa animi præparatione adhibita, sacrosanctam corporis filii sui hostiam ipsi immolaverint, utque multis sæpe significationibus ac prodigiis, summopere hac eorum in se voluntate studioque delectari, significet, in duobus sacerdotibus, piis ac religiosis viris, nuper apparuit; quorum unus aliquot ante annos est mortuus, alter etiam nunc vivit, admirabile Dei, grati in eos animi monumentum, qui hoc sacrificii genere eam voluptatem, qua nulla est illi major, student objicere. atque ut ab hoc primum, qui nunc vivit, exordiar, Io. Baptista Confalonerio nomine, Sedis Apostolicæ Tabularii Præfecto; cum aliquot ab hinc annis, summa hyeme ac tempestate perfrigida, ad nocturnos ignes, qui pluribus urbis locis, ob Ferdinandum Austriacum, Regem Romanorum electum, fiebant, visendos se contulisset, ut rerum sane admirabilium adspectu oculos pasceret, est enim homo mire curiosus, ab apoplexia, quæ magna vi in caput invaserat, oppressus est adeo, ut verbum fere nullum, ac ne nomen quidem suum proloqui posset; quod quamvis mœrorem doloremque illi summum inureret, cum omnem sibi facultatem esse ademtam intelligeret, qua, & in dulcibus amicorum colloquiis, & in rebus sibi necessariis, id quod animo conceptum haberet, verbis exprimeret; attamen nulla res adeo animi miserum eum habebat, ut illud, quod non posset id Deo sacrificium, quo maxime delectatur, quotidie, quemadmodum solitus erat, offerre: verum se continere non poterat, quin ejus rei cupiditati acriter vehementerque inflammandum se traderet; ac sibi videbatur, si sacris induto vestibus, ad altare fas fuisset accedere, fore, ut etiam facultas fandi & rem sacram faciendi suppeteret; atque ab ejus ardore cupiditatis adeo interdum se abripi sinebat, ut Ædium illarum, ubi sacrificare consueverat, sacraria ingrederetur, atque nutu ac significatione æditúos rogaret, ut sibi vestes, ad celebrandum necessarias, exhiberent; quod ab illis cum risu excipiebatur; erat enim ridiculum, optare, ne dum sperare, posse illum, qui memoriam omnem & loquendi facultatem penitus amisisset, clara voce atque distincta, tam multa, quæ in sacrificio Missæ

vel ſunt legenda, vel neceſſario memoriter recitanda, proferre. ſed cum in dies magis hic illius ardor excreſceret, & æditais moleſtior ſemper accederet, atque iraſceretur, quod ſibi dicto audientes non eſſent, tundendo atque odio denique effecit, ut illi, animum ipſi explere, ſtatuerent; atque, ſacerdotalibus ornamentis traditis, fecerunt ſacrificandi poteſtatem; ſed privato in ſacello, atque omnibus remotis, ne, ſi res minus proceſſiſſet, ſumma religioſiſſimi illius templi & auguſtiſſimi illius ſacrificii cum offenſione, magnos de ſe populo ludos jocoſque præberet. Sed res accidit mira, ac digna, quæ omnium ſeculorum poſteritatis memoriæ tradatur. ille, qui vocis uſum amiſiſſe videbatur, cuique ita cuncta ex memoria exciderant, ut ne nominis quidem ſui meminiſſet, adeo celeriter, ac ſine ulla hæſitatione, confeſſionem, quæque ad illam pertinent, Kyrie eleiſon, partem pſalmi, quæ à ſacerdote, dum lavat manus, pronunciatur, præterea verba, quibus ad populum converſus, illum affatur, oratque ut ipſius ad Deum preces cum ſuis adjungat, quo facilius litare eo ſacrificio poſſit, adeo, inquam recte, & clare, ac dilucide protulit, ut non deſiderares melius. deinde quæ eo die prætermittenda erant, prætermiſit, quæ legenda, legit; tum, quæ clara, quæ ſummiſſa voce, quæ primo, quæque poſtremo loco dicenda, dixit; tum, nulla in re, ſacrificii ordinem perturbavit, ſed eundem mire ſervavit. quamobrem illi, Deo immortali gratias agentes, paſſi ſunt eum in publico celebrare; cui celebranti ipſe quoque, attonitus rei novitate atque miraculo, ſæpius interſum. at, re divina peracta, ſi quæras ab eo, ut unum tantum verbum tibi dicat eorum, vel quæ legit, vel quæ memoriter recitavit, operam inanem ſumas; nam nihil eorum meminit, ac plane muto ſimilis hæret. at, hoc anno MDCXLIII, cum in Æde S. Spiritus in Saxia, quo jam ætate confectus, eſt enim annos natus ſupra octuaginta, ob vicinitatem ſæpe ſe confert, cum, inquam, Dominica Palmarum, ſacrum ibi faceret, ac, peracta confeſſione, aſcendiſſet ad altare, cœpit conſpicilia, quæ naſo applicaret, quærere, in altari, in femoralium ſacculis, quo non? tum, in ſacrarium, ubi ea

ſe

se reliquisse ajebat, mittere, qui sibi referret; sed, cum nusquam invenirentur, nam, nullius memoriæ homo, domi reliquerat, neque recordatus fuerat ea secum afferre, affligari, conqueri fortunas suas, quod eo die, quo Christi passionis historia recitatur, ejus sibi muneris functione carendum esset. quod cum animadverteret senex quidam, qui aderat ibi, sua ad eum conspicilia misit, quibus, si essent apta, uteretur. quæ cum naso commendasset, maximo esse usui intellexit; atque plenus hilaritatis, inchoatum sacrificium ad extremum usque perduxit.

Hæc cum, ipso Io. Baptista præsente & audiente, P. Nicolao Rodulfio, totius Dominicanæ familiæ Generali Magistro narrarentur, Quo minus, inquit ille, admiremini, fuit è nostro numero quidam F. Thomas Lerma nomine, verbi Dei prædicator eximius, sed apprime doctus, religiosus ac pius, qui, in sacra Eucharistia conficienda, incredibili se voluptate perfundi sentiebat; hic, sive senio, sive nescio quo alio morbo confectus, ita oculis erat æger, ut iis nihil plane uteretur; itaque neque librum aliquem legere, neque horarias preces recitare poterat; sed non minori quam hic Io. Baptista, immaculatam illam hostiam Deo sacrificandi cupiditate flagrabat; sed rem, de qua desperabat, tentare non audebat; tantum in preces fusus, ardens hoc desiderium Deo, qui posset illud explere, aperiebat. sed, divina ope auxilioque confisus, voluit die quodam experiri; atque experienti adfuit Deus. rem miram, mihique ipsi, nisi eam oculis sæpius accepissem, incredibilem; illi, qui aspectum omnino amiserat, cœperunt Missalis literæ sub aspectum venire, seque eidem legendas objicere; quare sibi ipse non defuit, sed hoc tanto tamque insigni Dei in se beneficio properavit uti, & quotidie, quoad vixit, ac per valetudinem licuit, nullum unquam diem intermisit, quin Missæ sacrificium perageret. atque hæc hominis pietati est à Deo merces persoluta. verum fiebat, ut cum à sacrificio Missæ discederet, in eandem rursus cæcitatem rediret, neque ullam aliis ex libris literam oculis posset accipere. hæc ille, multis audientibus, dixit.

LXXX. *Qui periculi vel damni evitandi causa ad Deum confugit, si postea ab eo descifcat, interdum in ea mala incurrit, quæ se effugisse crediderat.*

SVnt aliqui ingenio adeo improbo, adeo servili, ut, nisi malo coacti, recte facere nesciant; qui postea, metu omni remoto, in veterem morem relabuntur, ac recidunt. sed fit plerunque, ut isti, qui metu soluti, ab officio discedunt, in illud ipsum malum incurrant, cujus periculo se esse defunctos arbitrabantur.

Adolescens quidam, multis ab hinc annis, hominem nobilem atque potentem, insigni contumelia affecerat, cujus iram veritus, quod intelligebat, quam vellet cunctaretur, se tandem in illius potestatem esse venturum, dedit operam, ut in eam Religiosorum hominum familiam reciperetur, qui sanctissimum in primis vitæ genus amplectuntur, ac colunt. quod ubi inimicus accepit, sponte ad eum adiit, ac metuentem trepidantemque confirmat, ac bonum habere animum jubet; nullum enim à se periculum ipsi adesse, &, Quandoquidem, inquit, te Deo factum esse amicum intelligo, ego quoque, Dei causa, depositis omnibus simultatibus inimicitiisque, redeo tecum in gratiam; ac post hac mihi carissimi amicissimique hominis loco ac numero eris; tu vero contine te in hoc tam laudabilis vitæ proposito, ac Deum, mihi ut sit propitius, exora. at ille, ubi sensit, se in possessione securitatis ociique consistere, non ita multo post, causam invenit, seque ex albo religiosorum illorum hominum expungendum curavit; qui deinde cœpit se per urbem hac illac ociosus inferre, nihil jam sibi à quoquam pertimescens. quem ubi ille conspexit, qui suas ipsi injurias condonaverat, exclamans, Siccine, inquit, pessime, existimasti, una opera te posse Deo mihique imponere? tota erras via; non enim hoc tibi procedet in numerum; eductoque gladio hominem obtruncavit, sibique mortuum ad pedes abjecit. Hæc ego à viro religioso accepi, ex eadem familia, quam ille turpiter deseruerat.

LXXXI. *Christi servos non esse ludibrio habendos.*

EA est sacerdotum dignitas, eorum præsertim, qui veteres Christi discipulos imitari, relictis rebus omnibus secuti sunt eum, ut non dubitet illos Deus pupillam oculi sui appellare; tum iisdem injuria affectis, vel deridiculo habitis, in eorum injuria atque contemtu se esse derisum ac spretum, Christus affirmat; *Qui vos* inquit, *spernit, me spernit.* quamobrem sæpe injurias, vel contumelias, illis illatas, tanquam sibi factas, acerrime vindicat.

Narravit mihi Franciscus Tebaldus, Io. Baptistæ Tebaldi, cognomine Elicona, fratris filius, Soc. Iesu Coadjutor, cum esset, nisi memoria me fugit, Anconæ, & in collegio Soc. Iesu ostii custodiæ præesset, adolescentem ibi nobilem, ludibrio habere solitum eos Patres, ac singulis fere noctibus insignem lauri, vel alterius cujuspiam arboris ramum, collegii ostio imponere; quemadmodum fit popinis, signi gratia; sed Patres, utpote perferentes injuriarum, sicuti Christi sectatores decet, nec esse quidem questos hanc injuriam. sed non ita multo post factum ajebat, ut derisor ille, fortunis omnibus eversus, ad mendicitatem adigeretur, adeo ut, cum esse Anconæ non liceret, eo quod popularium suorum ipsum puderet, coactus sit Romam decedere, & victum emendicare; verum cum ab omnibus rejiceretur, in patrum ejusdem Societatis misericordiam confugisse, eosque, honorem pro contumelia, gratiam pro injuria referentes, binos eidem panes in dies singulos attribuisse; qui per ipsummet Franciscum præbebantur, tum ostii domus professæ custodem.

LXXXII. *Dæmon, medici forma atque habitu, ſpe certa ſalutis oblata, graviter ægrotantem illudit.*

P. Franciſcus Maria Tauruſius, de quo ſupra commemoravimus, cum accepiſſet, amicum quendam ſuum, cujus etiam confeſſiones excipiebat, graviter eſſe ægrum, quemadmodum ſua eum caritas facere admonebat, venit ad eum domum, ac periculoſiori implicitum morbo offendit, quam eſſet ad ipſum allatum, adeo ut ne tenuis quidem ſpes ſalutis reliqua videretur. quamobrem cœpit eum Pater hortari, ut jam non amplius de hac mortali, ſed de illa ſempiterna vita cogitaret, ac rationem ſuæ ſalutis in tuto conſtitueret. quod cum illi novum & incredibile videretur, cachinnos extulit, atque, Inſanis, inquit, Pater, nam quantum verba tua audio, ita loqueris, ut ſi mox mihi diſcedendum ſit è vita; at Alexander Petronius (hic erat medicus, ea tempeſtate ſummus,) qui hinc modo diſceſſit, nihil me ex hoc morbo periclitari inquit, ſed cras incolumem è lecto ſurrecturum. quæ res ita Tauruſium admiratione complevit, ut ſtatuerit Alexandrum adire, atque ipſemet viſere, illene an æger inſaniret. qui interrogatus, ingenue reſpondit, nullum à ſe, eo die, ejus nominis ægrum fuiſſe inviſum, atque eum, prorſus, quid hominis eſſet, ignorare. quæ Alexandri oratio Tauruſo ſuſpicandi locum aperuit, humani generis hoſtem, Alexandri forma atque habitu, ad ægrotum illum acceſſiſſe, quo, ejus ab animo, timore mortis ſublato, omnibus rebus imparatum, in ipſo mortis articulo aggrederetur; ac niſi Pater ſubveniſſet, æger ille, inſciens, in ejus inſidias deveniſſet. nam paulo poſt, ex vi morbi, vita devolutus exceſſit.

LXXXIII *Mortem, omnibus locis atque horis, hominibus impendere.*

NVlla eſt ætas homini ad moriendum non opportuna. ſatis eſt eum naſci, quo maturus ſit morti.

tum nullus eſt locus, vel frequens, vel ſolus, quo morti non pateat acceſſus; nulla regio, vel deſerta vel culta, quæ non ſit eidem pervia; nullus aditus tam arduus, tam interclusus, tam ſeptus, quem non illa perfringat, ſibique patentem efficiat; denique nullum eſt anni, nullum diei tempus, vel noctis, quod, volenti adire, non ſit opportunum vel aptum. vult enim nos ſemper eſſe paratos, ſemperque ipſam eſſe præſentem exiſtimare. neque ſemper expectat, ut in lecto cubantes offendat; ſæpe enim in via, in urbe, in agro, in foro, in templo, in epulis, in vino, & quod horrendum eſt dictu, in venere opprimit. quamobrem cum incertum ſit, qua hora, quo loco, illa nobis allatura ſit manus, ſapiens profecto conſilium eſt, ejus memoriam nunquam ab animo deponere, eamque ſic metuere, ut ſi præſens adeſſet. putamúſne mortem in memoria habuiſſe eos tum, cum domo egrederentur, vel in forum ad negocia, vel in agrum ad amœnitatem, vel quopiam ad voluptates, quibus poſtea vel inimicorum inſidiis, vel ictu fulminis, vel apoplexia, vel ſubito alio caſu interceptis, redeundi facultas non obtigit? at veriſimile eſt, eos quovis alio potius, quam ad cogitationem mortis, animum appulſum habuiſſe: attamen fuere omnibus exemplo, quam ſtulte, quam inſipienter faciant, qui quavis in re, quam vel moliuntur vel agunt, mortis memoriam ſuo ab animo removent; ex contrario, quam ſapienter, quam recte, ſibi conſulant, qui ne punctum quidem temporis ab hac tam ſalutari cogitatione ſibi eſſe recedendum exiſtimant.

Superioribus annis rem oculis noſtris accepimus, in qua omnes exhorreſcant, atque in aſſidua mortis cogitatione verſentur. quidam Romæ præter Cancellariæ ædes ampliſſimas celſiſſimaſque iter habens, eam, quam minime excogitabat mortem incurrit. etenim ingens ſaxum, ubi Riariorum familiæ ſtemmata erant inſculpta, à reliquo pariete avulſum, ex ſummo earum ædium faſtigio, horribili in ipſum ruina concidit, at totum obtrivit.

LXXXIV. *Non esse temere de quoquam judicandum, quamquam aliquod ejus factum nulla excusatione defendi posse videatur.*

PRæclare atque sapienter à Christo præcipitur, ne quidquam temere de altero statuamus; tum quia non sunt partes nostræ judicare, sed ejus qui scrutatur corda & renes Deus, tum etiam quia multa nobis se offerunt, quæ extrinsecus improbitatis & maleficii speciem præbeant, intrinsecus autem rationem habeant virtutis & laudis: verbi gratia, cum quisquam alteri quidpiam aufert, non eum continuo furti arguamus oportet. nam incidunt sæpe tempora, quibus contrectatio rei, ut videtur, alienæ, furti rationem amittat; cum videlicet, ceteris auxiliis deficientibus, fames vel aliqua alia vitæ necessitas urgeat; tum enim non minus fiunt communes res omnes, aves, quæ cælo involitant, vel pisces, quæ mari vel fluminibus innatant: etenim omnia hæc occupantium fieri, nemo est qui dubitet. at factum quoddam afferam, quod Paulo V Pont. max. Romæ contigisse narratur.

Vir quidam honestus ac locuples, cum horam noctis circiter primam via sacra iter faceret, exutus est pallio, quo tegebatur; sed quia locus ille est ab arbitris sane remotus, quod à paucis habitetur, & quia vir ille gravitate prudentiaque præstabat, non dedit se querelis & lamentationibus, non popularium fidem imploravit, ut fere fit in ejusmodi rapinis, sed dissimulavit, ac rem totam silentio suppressit; quod fortasse fuit etiam causæ, cur ereptor ille non se in pedes conjiceret, sed pene ociosus inambularet; putabat enim, ex eo quod nemo sibi molestus esset, se lepide fuisse furatum. itaque, animadvertente eo, qui pallium amiserat, venit ille ad pistoris tabernam, atque Iuliis tribus panes coëmit, & quoniam præsens pecunia, quam daret, non aderat, pignori pallium opposuit; tum in vicum se contulit, turri proximum, quam Comitum vocant, & aperto tabernulæ cujusdam ostiolo, panes illos ad pedes quatuor puero-

puerorum abjecit, qui una cum muliere ibidem ad tenue nescio quod lumen sedebant, ac, Sumite, inquit, hos panes, famemque sedate, jam vestra causa si semel deprehensus fuero, pœnas collo persolvam. his suismet oculis atque auribus acceptis, vir ille probus, postridie mane, recta ad pistorem iter habuit, ac Iuliis tribus persolutis, pallium sibi redemit; tum in eam viciniam se contulit, ubi pauper ille degebat, ac percontatus vicinos, quid illic hominis esset, quoque artificio se tueretur, invenit, pauperem esse hominem, uxore & quatuor liberis præditum, qui propemodum fame conficeretur, eo quod misero nulla fere facultas in opus eundi daretur. itaque domum profectus, tantum tritici ac vini eidem misit, quantum satis esset ad suam totiusque familiæ vitam, quatuor mensibus, sustentandam; præterea scuta duodecim numerari jussit, ac nunciari, ne de pallio sollicitus esset, nam Iuliis tribus, qui pistori debebantur, persolutis, illud à domino cui eripuerat, fuisse redemptum,

LXXXV. *De altero, qui propter inopiam, per simulationem osculationis, pauculos ab altari, ore hianti, nummos exceperat.*

MAter mea, optima ac religiosissima fœmina, mihi etiam tum puero narrare solita erat, opificem quendam, cum, gravi diutinoque implicitus morbo, fere sua omnia in medicos effudisset, ad summam egestatem fuisse redactum; qui cum die quodam, cibi inopia, incœnatus cubitum isset, postridie mane amenti similis egressus est domo; atque hac illac inambulans, contigit, ut præter sacram quandam Ædem transiret, ubi sancti ejus Ædis patroni, summa civium frequentia, natalis dies celebrabatur; atque ibant omnes, ut erat mos illorum temporum, ut aram maximam exoscularentur, eamque denario, vel nummulo aliquo, augerent. itaque tota pene redundabat argento. tum ille, cui ingenium acuebat inopia, una cum aliis accessit ad aram, atque simulatione osculationis, tantum nummorum excepit,

cepit,

cepit, quantum os capere potuit, ſeque confeſtim è templo ejecit; è quibus nummis, cum diligenter eos antea enumeraſſet, ligulas, acus, & alia ejuſmodi mercimonia coëmit; quæ ſtatim aliis, cum quæſtu compendioque divendidit, & precium, quod redegerat, rurſus in aliis mercibus collocavit; quo fiebat, ut ſemper auctior locupletiorque diſcederet. ſed cum primum cœpit eſſe in nummis, nihil habuit antiquius, quam ut pecuniam ſancto illi redderet, quam ab eo, ut ipſe dicebat, mutuam accepiſſet; quod ſumma cum fide præſtitit, eundemque ſibi patronum apud Deum ad res ſuas omnes adhibuit. quo facto, illud aſſecutus eſt, ut ad eas pecunias, ex mercatura, perveniret, ut poſtea nullius indigens fuerit.

LXXXVI. *Eccleſiaſticas cenſuras eſſe metuendas.*

QVantum Eccleſiaſticæ cenſuræ vim habeant, quæ contumaces ac rebelles ſacrificiis interdicunt, atque à reliquo fidelium cœtu ac communione ſejungunt, declararunt, hac noſtra memoria, diſceſſiones hiatuſque terræ, quæ civitates integras, una cum earum ædificiis abſorbens, intra viſcera condidit, tanquam ipſi propoſitum eſſet oſtendere, quibus ita interdictum ſit, ſibi quoque eos impiorum ac ſceleratorum numero eſſe. ſed ut ſingillatim veniam ad eos, quibus hoc animadverſionis genus peſtem, & exitium attulit; ante annos prope triginta erant Neapoli vir atque uxor, non tam conjugii vinculo, quam improbitatis ſocietate inter ſe conjuncti colligatique; qui ipſorum propinquis non parum multa ſurripuerant, & clanculum domum ſuam averterant. illi, cum aliter jus ſuum obtinere non poſſent, hoc eos flagello verberandos curarunt; cujus verberis ictum (quod ejus vim nondum experti eſſent) cum riſu jocoque exceperunt, atque hilares & ſecuri voluptatibus operam dabant. verum, dum liberiore ſunt animo, neque quidquam minus quam divinæ iracundiæ vim metuunt, tum eam ſibi ſupra caput eſſe intellexerunt. etenim

enim cum die quodam, à prandio, animi scilicet causa, in projectum sive mœnianum exissent, extemplo, multis spectantibus, repentina morte, subito conciderunt. quæ mors nefarium illorum furtum prodidit,& in oculis omnium conspectuque defixit, quod illi tantopere occultare conati erant.

LXXXVII. *Censurarum ecclesiasticarum pœnam, in res quoque ratione sensuque carentes, vim suam interdum exercere.*

NEque censurarum vis hæc maxima atque gravissima homines tantum, quorum præsertim audacia compescitur, alligat, pœnaque constringit, sed mutas res quoque atque inanimes comprehendit; cujusmodi sunt arbores, atque adeo elementa ipsa; quas res, sensus atque rationis expertes, nulla pars sceleris potest attingere.

Olim Cardinales aliquot convenere, ut in villa Farnesiorum, pratis Neronianis adjuncta, de symbolis essent; quo cum, die atque hora constituta, venissent, ibique exornatum ample magnificeque convivium offendissent, statuerunt, nihil esse amplius expectandum, sed se quam primum sellis, prandendi causa, commendare; verum cum aqua manibus daretur, eorum unus annulum carissimum, è digito sibi detractum, arboris cujusdam ramo inseruit; sed postea, sermonum suavitate perceptus, qui erant in prandio lacessiti, non solum oblitus est illum recipere, verum etiam funditus loci memoriam, ubi collocarat, abjecit. at, confecto jam prandio, cum ejus meminisset, cœpit eum poscere; & quia nusquam inveniebatur, & quod sibi non veniebat in mentem, cui commendasset, venit in suspicionem furti familia, quæ circa ipsum fuerat. itaque, quisquis ille esset, è cœtu fidelium segregandum, & satanæ in interitum tradendum curavit. sed postea, quiescente jam illo, atque annuli jactura in oblivionem adducta, animadversum est, arborem illam, cujus ramis suspensus ille annulus fuerat, exaruisse: quem cum coloni diligentius inspi-

inſpicerent, quo repentinæ illius ariditatis cauſam inveſtigarent, pendentem in ea annulum invenerunt, detractumque, ſumma cum voluptate, ſuum ad dominum retulerunt.

LXXXVIII. *Fons aquæ puriſſimus liquidiſſimuſque, ex anathemate ater, multoque oblitus cœno prorumpit.*

IN quodam Italiæ oppido inſignis fons eſt, & celebris ibi fullonia, quo magnus fit mulierum, in ea ſe exercentium arte, concurſus; quarum una, cum precioſum ibi toral amiſiſſet, exiſtimavit, id ſibi, cujuſpiam ex ſociis dolo, fuiſſe ſublatum; cumque exploratum non eſſet, quam ejus facinoris inſimularet, ad hoc extremum præſidium confugit, ut, quæcunque apud ſe furtum celaret, anathemate feriretur. quo facto, fons ille, qui ad eam diem puriſſimus limpidiſſimuſque emanaverat, præter modum lutulentus cœpit effluere, adeo ut jam nulli eſſe uſui poſſet. ſed cum diligentius earum ſordium origo exploraretur, inventum eſt illud toral in ima aqua latere; quo inde extracto, ac mulieri cujus illud erat reddito, continuo priſtinus fonti nitor acceſſit.

LXXXIX. *Mulier perjura, terræ hiatu, quemadmodum ipſa ſibi imprecata erat, excipitur.*

ET quoniam fontium mentio injecta eſt, non alienum eſſe videtur, quod Romæ, me puero, ad D. Georgii in Velabro contigiſſe ferebatur, exponere.

Muliercula, quæ, una cum aliis pluribus, in eo fonte lavabat, ſuffurata erat alteri ſubuculam; quod cum vix illa poſſet inficiari; nam multa concurrebant veriſimilia, quibus id de ea ſuſpicari liceret; attamen id à ſe factum eſſe negabat, ac, ſi ſecus eſſet quam diceret, multa capiti ſuo dira imprecabatur, & in primis, ut terra dehiſce-

dehisceret, seque vivam in ventrem abstraheret. at metuens, ne manifesta mendacii teneretur, accurrit illo, ubi subuculam, una cum aliis vestibus lineis, in sole exiccandam explicaverat, ut eam quantum posset removeret, atque ita reconderet, ut ejus inveniendi potestas non esset. quo cum venisset, terram discessisse ajebant, in eumque hiatum delapsam mulierem, statim eam, qua se dignam judicaverat, mortem obiisse.

XC. *Duo nequissimi homines, admissi in hominem innocentem sceleris pœnas pendunt.*

QUorundam iniquitas criminum adeo manifesta est, adeo perspicua, ut, quamvis reorum vel potentia vel calliditate vel gratia, tanquam secundæ cujuspiam auræ impulsu, humani judicii tempestatem effugiat, non possit tamen se ita tueri, ut tandem non ad Dei judicis vim severitatemque, quasi ad aliquem scopulum, compulsa frangatur, hoc est, ea, qua digna est, pœna supplicioque coërceatur.

Olim sacerdos quidam, ex insigni Monachorum familia, relictis Catholicæ religionis partibus, in Angliam ad hæreticorum castra transierat; sed postea facti pœnitens, si tamen ea fuit vera pœnitentia, ab hæreticis defecerat, rursusque in Ecclesiæ Romanæ complexum confugerat; quæ, more suo, ecclesia non est hominem aspernata, sed humaniter ac benigne excepit, ac menstrua etiam pecunia, ad vitæ usum, adjuvit. erat ibi viciniæ, quo commigraverat, mulier, probo honestoque viro nupta; hanc ille, una cum adolescente, quem contubernii ejusdem jure, ac præterea arctissimæ familiaritatis vinculo, sibi devinctum habebat, amare cœpit. at mulier, quæ levi erat ingenio, non est passa se diutius sollicitari, sed brevi utrique morigera fuit, atque, vicinitate invitata, (erat enim idem ipsi paries communis cum illis) modo hunc, modo illum ad se recipiebat; neque id clam virum ita habere potuit, ut non aliqua ad ipsum permanarit. etenim suspicione vehementer offensus, multos illi colaphos impegit, ac magnum præter-

præterea malum minitatus est, si quod ipsi in posterum oboluisset. quæ illis mulier, multis cum lacrimis, omnia narravit; qui veriti, ne ille ipsis ludus in perpetuum præriperetur, statuerunt, ut rumor ait, de mulieris sententia, probum illum virum de medio tollere, & tanquam æmulum suis ab oculis removere. quas partes improbus ac sacrilegus ille sacerdos ad se recepit, atque idoneum tempus nactus, cum videlicet Cardinales, novi Pontificis in Gregorii XV demortui locum subrogandi gratia, conclave erant ingressi, quo tempore, omnium fere rerum impunitas & licentia in urbe bacchatur, postridie, rusticani hominis habitu, qua necessario transeundum illi erat, consedit. quem ubi cum uxore venientem aspexit, pistoriensi sica adortus, in conspectu mulieris obtruncavit; quæ, utpote tanti facinoris conscia, nihil sane est commota, sed paululum ab eo recessit, quo commodius ac securius feriretur. nec multi ab eo die menses intercesserunt, cum illa adolescentem in matrimonio sibi conjunxit, adolescens vero sacrilegum illum, eandem in domum, ad vitæ societatem admisit, ut uxore sua una cum ipso uteretur ac frueretur, ac suis fere sumptibus familiam sustentaret. verum aliquanto post Deus, qui justus quidem judex, sed patiens, interdum præsentis fraudis pœnam in diem reservat, justas ab utroque pœnas expetiit. nam primum adolescens, dum ruri sclopum displodit, alteram sibi manum tam gravi affecit vulnere, ut ejus usum in perpetuum amiserit; neque ita multo post, eo pituitæ genere correptus est totus, ut cum majorem anni partem lectulo affixus hæsisset, postremo sit mortuus. at ille sacrilegus, qui omnium fere malorum radix extiterat, cum in palatio Apostolico hominis cujusdam cædem faciendam curasset, pecuniæ surripiendæ causa, qua mulieri vestes, inaures, torques, quæ pignori opposuerat, redimeret, comprehensus & abreptus est in carcerem, ubi, quæstione habita, cum crimen inficiari non auderet, de eodem, tanquam de confesso, sumptum est supplicium.

XCI. *Sce-*

XCI. *Scelestum plerunque hominem consimilis delicti pœna prosequitur.*

AC non parum sæpe contingit, ut, quo quis lethi genere alterum affecerit, eodem ipse moriatur.

Vir quidam princeps insignem doctrina usuque medicum jusserat in puteum demergi; cui iratus dicebatur, quod lethali implicitum morbo parentem, ex præcipiti non servavisset, tanquam si id ars professioque medicinæ profiteatur, ut, quibus illa velit, morbos adimat, ac salutem repræsentet. verum ille, non ita multos post annos, eas crudelitatis suæ pœnas dedit, quæ sceleris admissi similis esset. etenim ab ea civitate pulsus, quam dominatu regio premebat, cum vellet flumen transire, ejus vi abreptus submersusque, interiit.

XCII. *Spectatores comœdiarum acriter interdum à Deo puniri.*

JOseph Castalio, vir non minus probus, quàm eruditus ac doctus, narrare solitus erat, quo tempore Ducis Sorani liberis erudiendis operam navabat, ludorum Bacchanaliorum diebus, venisse quendam ad se, ut ipsum ad fabulam quandam spectandam adduceret, quæ in ea vicinia, ubi erat, dabatur; sed nulla conditione potuisse adduci, ut domo pedem efferret: verum, post aliquot horas, ingentem, ejus ad aures, strepitum pervenisse, vehementerque commotum rogasse, quid novi ingens ille clamor afferret; responsum accepisse, aulam illam, ubi fabula edebatur, concidisse, eaque ruina aliquot oppressos interiisse, complures brachium, crus, vel femur fregisse, nec parum multos, sine sensu ac sine mente jacentes, illinc pro mortuis fuisse sublatos; itaque ingentes se Deo gratias egisse, quod eam sibi mentem ab ejusmodi nugis alienam injecisset.

XCIII. *Virgo, quæ pejeraverat, igne crematur.*

FEstis Bacchanalibus, Romæ, in quadam vicinia, ludi convivales quidam celebrandi erant; quibus virgo nobilis, psallere & saltare docta, se ornaverat; nimirum ut ibi esset cum adolescentulis, suis æqualibus; neque solum dederat operam, ut bene vestita & aurata conspiceretur, verum etiam multa malas cerussa candefecerat, ac purpurisso depinxerat. quam cum mater ita pictam fictamque esset intuita, expostulare cum ea cœpit, quod, nondum nupta, ausa esset pigmentum ullum attingere, atque ori admovere. illa negare, à se tactum esse, neque cerussam, neque purpurissum, neque ullam aliam offuciam; ac nitorem illum à natura sibi datum esse, dicere, non aliunde petitum. mater instare, factum: virgo negare, ac D. Antonium precari, ut, si mentiretur, igne correpta deperiret. sed, nescio quo casu, ea nocte non est celebratum illud convivium, sed dilatum in crastinum. virgo, ejus rei certior facta, omni ornatu deposito, quiescendum in præsentia duxit; &, cum esset tempestas perfrigida, ignem in patellam indidit, cum eaque in superiorem ædium suarum partem ascendit; ubi cum sedisset, divaricatis cruribus, eum sibi ignem supposuit; quo juvante, sopori se tradidit. interim ita eam arcte complexus est somnus, ut antea totis ignem membris conceperit, atque adeps eliquatus in terram defluxerit, quam sopore soluta, clamores tollere, opemque implorare potuerit. verum cum, ad vocem clamantis, vicinorum concursus fieret, & hærentem virginis membris ignem aspicerent; ne ille longius serperet, recte curarunt; sed quia jam intra viscera penetraverat, nulla eam vis potuit morti surripere. itaque meritas perjurii sui pœnas D. Antonio dependit, quem mendacii sui testem simul & ultorem invocaverat.

XCIV. *No-*

XCIV. *Nobilis mulieris in pellicem sævitia.*

QVantum in se scelus concipiant, & quam graves sæpe pœnas mulieres illæ incurrant, quæ cum alienis viris rem habent; nec tam insignem legitimis toris injuriam vereantur imponere, exemplum, in quandam viduam, non multis ab hinc annis, editum, docet. hæc lepida atque eleganti corporis forma mulier, sed animo turpi fœdoque, in quodam Italiæ oppido, in primis claro ac nobili, quod, re adhuc recenti, non est necesse nominare, formæ ut diximus bono, quo præstabat, juvenem, genere, opibus, divitiis, civitatis primum, in sui amorem illexerat, & stupri consuetudine sibi devinxerat; quo fiebat, ut non is eum, qui par erat, uxori honorem haberet, nec jus illi suum, quemadmodum consueverat ante, tribueret. cui cum id grave accideret, incidit suspicio, ideo maritum à re uxoria abhorrere, quod apud pellicem aliquam, amoris clavo defixus, hæreret. itaque mulier, genere, ætate, ac patris potentia, qui aliquot imperabat oppidis, ferox, statuit, quidquid illud esset, quod mariti à se animum abalienaret, radicitus reperire; ac quærens, investigans, tandem, non odore aliquo, nec leviter presso vestigio, sed lata via atque patenti, ad intima rei totius cubilia pervenit; nimirum intellexit, quæ nam esset ea mulier, quæ sibi virum interciperet, qua forma, qua ætate, qua factione, quo genere; ac nihil sibi faciendum prius existimavit, quam ut eam, sicut merita esset, ulcisceretur. itaque dat literas ad patrem vehementes, quibus de viri sui injuriis expostulat, ejus flagitia aperit, & quid ipsi facto sit opus, ostendit, postremo suam ad id opem efflagitat. quæ, ut erant acerba atque indigna, cum sic patri viderentur, statim duos ad filiam homines misit, fortes, audaces, manu promptos, qui, nulla hominem de causa occidere, pensi nihil habebant, iisque imperavit, ut mulieri præsto essent ad nutum, quæque imperaret, omnia facerent; quos illa humaniter, advenientes excepit, & clam hospitio, victu, ac ceteris in rebus, liberaliter habendos curavit, expectans, dum pellicis opprimendæ tempus & occa-

occaſio ſe daret; interim eum, quo vir in ſuis flagitiis interprete atque adminiſtro utebatur, evocat, ac blandiciis, pollicitationibus, ac præſentibus etiam præmiis adigit, ut ipſi ſignum proderet, quo adhibito, mulieris fores, cum ad eam veniret, viro paterent. cumque jam ſatis in dolos ſe eſſe inſtructam arbitraretur, die quodam, cum vir mœſtus, ſive ex amore, ſive ex aliquà alia ægritudine, in lecto jaceret, ſicariis, à patre miſſis, ad ſe accitis, negotium dat, ut ad ædes mulieris adeant, fores pulſent, ſe virum eſſe ſuum, qui ad eam veniat, aſſimulent, & ſignum, quo illi fucus fiat, tradant, domum ingreſſi, necem inferant, ac peremptæ caput ad ſeſe apportent. illi imperata faciunt, veniunt, ſignum dant. mulier, ſigno ſibi noto commota, ſurgit una cum ancilla, ad fores venit, aperit. illi intrant, ac primo ancillam obtruncant, & in puteum mergunt; tum dominæ caput præcidunt, & ad eam, à qua miſſi fuerant, referunt. illa, recenti adhuc cruore madidum capillis arripuit, ac ſub linteolo, quod ipſi à gremio defluebat ad pedes, abſcondidit, & cum eo ad virum ingreditur; quem rogat, quid agat, ut ſe habeat, num morbus abſceſſerit, vel ſaltem minor ſit factus. reſpondet ille, adhuc ſibi ægre eſſe. tum mulier, quid ſi ea,quæ te ægrum facit, tibi in conſpectum veniret, non ne adventu ſuo omnem tibi ab animo moleſtiam abſtergeret, & à corpore morbum expelleret? cui ille, Facis, inquit, delicias, more tuo, (nam de hoc ſæpius inter ſe litigaverant,) equidem mihi conſcius ſum, nullam eſſe cordi meo caram, præter te unam. at uxor, omnem è pectore iram expromens, Abi ſis hinc, inquit, impure, mendax; tu ne, poſſe te mihi verba dare, exiſtimas? eductoque è ſinu capite, Noſti ne hanc? tene, inquit; amplectere; jam hoc tibi, me non invita, licet facere; atque una opera id illi caput in os objecit. quo ſpectaculo, plus quam dici poteſt exterritus, parum abfuit, quin ab animo relictus, mortem obiret. at virili audacia mulier, viro ſemianimi relicto, ſe è cubiculo foras eduxit, ac vehiculo, ſex jugis trahentibus, ejus rei gratia parato, ad parentem, quanta maxima potuit fuga, contendit.

XCV. Re-

XCV. *Reges ac principes viros non esse ludibrio habendos.*

QVod regale nobis nomen magnum & sanctum esse debeat, tum divinis tum humanis cautum est legibus, ac Petrus Apostolus edocet, qui modo Regibus honorem deferendum esse ait, modo eisdem nos, tanquam præcellentibus, subjectos esse debere contendit; neque facinus committi à quopiam gravius potest, quam cum regalis illorum majestas amplitudoque minuitur. quamobrem eorum audacia, qui ejus se sceleris conscientia constrinxerint, majoribus etiam pœnis suppliciisque retunditur. quo etiam genere comprehenduntur ii, qui aliquo Reges facto, ludibrio atque contemtui habent. nam, si nihil est, quod privatus quisquam minus, quam se illudi ac despici velit, propterea quod sua unicuique existimatio ac dignitas gravis est, quanto magis existimandum est, cupere Reges, ab regali ipsorum fastigio, contemptum atque irrisionem omnem abesse, quibus nihil tam propositum est, quam ut ipsos, omnes, propter imperii majestatem, vereantur ac metuant? atque illorum quoque audacia, qui istud vel leviter vel obscure moliuntur, impune non abit, sed, ea quam meretur pœna, mulctata, ceteros, ne idem audeant, admonet: ut in eo, de quo commemorabimus, accidit.

Fuit, non ita multo supra hanc nostram ætatem, Rex quidam, cujus nomen, etsi nulla subest causa, cur reticeatur, tamen, non pessime factum iri existimo, si nulla ejus mentio fiat; fuit, inquam, Rex quidam, in cujus regno locuples vir, ex procerum numero, duo optima ac præstantissima oppida possidebat, ex quorum fructibus, in omnibus se rebus magnifice copioseque tractabat, ac magnum præterea equorum numerum alebat. eorum erat oppidorum jam pridem cupidus, unus ex Regis propinquis, illi carus in primis; sed quia oppidorum dominus ea non invitus habebat, neque erant venalia, ac præterea multas inde, aucupiis ac venationibus, animi remissiones ludosque sibi parabat, nulla conditione adduci poterat, ut alieni juris mancipiique ea

fieri pateretur; præterea indignabatur, à Regis propinquis ea ſibi oppida eripi; ereptionem enim eſſe,non venditionem, cum ab iis, qui rerum potiuntur, adverſus animi ſui ſententiam cogitur aliquis rem, à majoribus ſuis ſibi relictam ac traditam, vendere; deinde ſuperbum, ac non ferendum eſſe exiſtimabat, in cognati Regno eos dicere homini honeſto, ſplendido, ac locupleti, Vende mihi ædes, fundum, oppidum; hoc eſt enim dicere, non es dignus tu, qui habeas tam bonas ædes, tam amplum fundum, tam elegans oppidum; meæ dignitatis iſta ſunt; tu intra fortunæ tuæ te limites contine. cum igitur ad has cogitationes, iræ atque indignationis plenas, revolveretur, ille Regis propinquus, cum videret, ſe ſuis artibus nihil poſſe proficere, optimum factu eſſe duxit, ab Rege auxilium petere. itaque ad eum venit, deſiderium ſuum exponit; narrat, magnam familiæ ſuæ dignitati acceſſionem futuram, ſi cum reliquis ſuis opibus illa etiam oppida conjungerentur. Rex, quamquam videret, quoties venditor rem venalem non habeat, nec ſuo arbitratu vendat, non eſſe licitum cuiquam, ſive privato ſive Regi, eam ingratiis quovis ſibi precio parare, quique memoria teneret, quid de vinea Nabotli ſcriptum legiſſet, quod non fuiſſet fas Regi Achab, à ſuo eam domino invito, quovis etiam pretio, quantumvis magno, redimere, negocium tamen ſe ſuſcepturum, & quoad æquitas & ratio pateretur, ſuam in ea re auctoritatem interpoſiturum, pollicitus eſt. itaque ad ſe venire hominem jubet, orat, ut, ſi ſua voluntate, ſi ſuo commodo fiat, non enim ſibi propoſitum eſſe vim illi afferre, propinquo ſuo duo illa oppida vendat. ille, qui non eſſet neſcius, Reges,etiam cum rogant, cogere, non eſt auſus adverſari contra illius poſtulatum, ſed reſpondit, tum in ea re, tum in aliis, ſe, Regem, ex ipſius voluntate, uſurum. Rex laudat, gratias agit, peritis quibuſdam mandat, ut oppida illa æſtiment, atque ex illorum æſtimatione propinquus, cui emebatur, domino precium exolvat. quod factum eſt ſtatim; ac præterea Rex ad precium, auctarium adjiciendum curavit; ac ſimul ait, Quandoquidem mei honoris gratia, oppida iſti induxiſti animum vendere, ſi

quid

quid semel à me in beneficio & gratia postulaveris, quantumvis magnum, neque tribui cuiquam solitum, id à me continuo impetraturum te scias. verum postea ille, qui vendiderat oppida, in ocio, factum suum reputans, tulit ægerrime, tam bona sibi oppida passum esse elabi è manibus; cœpitque cogitare, qua nam ratione posset, quod perperam fecisset, emendare atque corrigere. cumque id sedulo versaret in animo, neque quidquam placeret, quod reperisset, tandem illi, regiæ pollicitationis, venit in mentem, qua, in oppidis vendendis, quidquid semel in beneficio & gratia postulasset, id à se continuo ablaturum esse spoponderat. nec mora, Regem adit, ac promissi eum sui esse memorem rogat. Rex aliud quidvis cogitans, optime se illud in memoria habere respondet; proinde peteret, si quid vellet. ille se ait cupere ab oppidorum venditione recedere, precium restituere, ac res venditas recuperare. Rex levitatem hominis admiratur; sed memor promissi, ne videretur, ab eo, in quo suam interposuisset fidem, velle discedere, dolorem suum dissimulavit, mandavitque propinquo, ut liceret illi rem suam redhibere; id quod statim est factum. sed non diu etiam est factum postquam hæc acta sunt, cum ille levitatis stultitiæque suæ pœnas dedit. nam cum receptis oppidis, solitis se animi remissionibus daret, accidit, ut, de quodam sibi subjecto, nescio ob quam noxam, supplicium sumeret; sed cum damnati parens, gravius, pro noxa, in filium esse animadversum quereretur, admonitus ab amicis ac popularibus suis est, ut Regem per epistolam adeat, & injuriam, filio factam, expostulet. Rex dat prætori negocium, ut de ea re diligenter inquirat, ac si perperam judicatum inveniat, eam fraudem non inultam esse patiatur, sed pœna judicioque constringat. prætor jubet, rei judicatæ tabulas ad se transmitti; ex quibus cognoscit, miserum illum, ad falsum crimen injectum, & iniquo judicio, fuisse damnatum. quamobrem, qui damnaverat, comprehensus, & conjectus in carcerem, tandem, bonis ejus omnibus publicatis, ac reciso à cervicibus capite, temeritatis suæ pœnas dedit. cujus oppida, quoniam una cum reliquis bonis facta erant publica, Rex

propinquo illi ſuo, qui erat eorum cupidiſſimus, gratis addixit.

XCVI. *Magiſtratus ac judices, adverſus reorum inſidias, præcipua Dei ope auxilioque muniri.*

QVi partem aliquam Reip. ſibi traditam, regendam ſuſceperunt, eam debent fortiter ac gnaviter adminiſtrare, neque improborum hominum audacia, minis, atque potentia deterreri, quo minus illorum ſcelera ac flagitia, pœnis, à legibus, conſtitutis, perſequantur atque coerceant. etenim perſuaſum eſſe illis debet, ſe præcipua quadam divinæ providentiæ parte contineri, cujus tutela auxilioque tecti atque muniti, inſidias, à reis ſibi locatas, effugiant, ac periculis omnibus ſuperiores evadant; ut perſpicue, plures ante annos, videre licuit, in quodam eccleſiæ Anconitanæ Epiſcopi Vicario, quem mirabiliter Deus ex impii ac ſacrilegi cujuſdam telis eripuit, cujus ille nimiam cum virgine, Deo ſacra, conſuetudinem amicitiamque conatus erat pro imperio ac poteſtate dirimere. Eſt Anconæ, celebris ſacrarum Deo Virginum domus; quarum virginum mores à vitæ religioſæ diſciplina deflexerant; in eo præſertim, ut diligentius munditer ſe haberent, corpus ornarent, formam excolerent, quam ejus vitæ mulieres deceret, ac multo ſe mallent ex pulcro corporis ornatu, formæque elegantia, quam ex optimo ingenio ac ſanctiſſimis moribus, laudari; tum, ut voce ac fidibus canerent elegantius, quam eſſet virginibus neceſſe, neque virorum conſuetudinem conſpectumque refugerent, ſed maxime adamarent, ac procacibus eorundem ſermonibus ſe dederent; non ſine ſumma, Epiſcopi, Abbatiſſæ, quæ virgo erat grandæva, ac veteris diſciplinæ reſtituendæ in primis cupida, ac populi totius, offenſione. cui incommodo cum Epiſcopus vellet occurrere, & prolapſos earam virginum mores revocare, atque optimis legibus inſtitutiſque conſtringere, vetuit, virum ad eas quemquam accedere, & longi materiam ſermonis afferre.

ferre. cui edicto cum minus esset obsequens vir quidam nobilis, sed admodum impurus atque scelestus, qui neque domo illa abstinebat, neque sermones cum una earum virginum, cujus erat cupiens, segregabat, sed à mane usque ad vesperam continuabat, admonitus est à Vicario, ut ne quid ejusmodi amplius auderet, sibique perpetuo domo illa carendum esse existimaret. sed ad sepulcrum, ut dicitur, mortuo verba faciebat: non enim fiebat, ut ille pertinacia desisteret, sed in contumacia magis magisque perseverabat. quamobrem Vicarius, cum nullam jam precibus nec admonitionibus relictum esse locum agnosceret, statuit, majore eum vi, hoc est, terroribus ac minis, de sententia depellere, atque interminatus est homini, si post hac in illa domo, vel adeo in iis regionibus, ubi ea domus sita esset, conspiceretur, sacrificiis interdicturum se eum, atque effecturum, ut numero impiorum sceleratorumque haberetur ab omnibus. quo audito, sic ille exarsit, ut pugione educto, ter illum eidem in brachio sit conatus infigere. sed videte, quis nam casus Vicarium adjuverit, vel potius, qua nam Deus ratione morti illum subtraxerit. nam semper accidit, ut pugionis mucro in laminam incurreret, qua cauterium obductum habebat, neque ullum, vel tenue ipsi vulnus infligeret. statim factus est hominum concursus; atque scelestus ille, manifesto in facinore deprehensus, conjectus est à lictoribus in vincula; & quoniam crimen erat magnum atque atrox, visum est dignum, quod in arce omnium gentium, & in orbis terræ theatro, in judicium vocaretur. itaque catenis oneratus, perductus est Romam; ubi cum diu in squallore ac tenebris jacuisset, tandem, amissis bonis omnibus, vitam, in summa rerum inopia & egestate, finivit.

XCVII. *Puella perjura, altero oculo capitur.*

ANno MDXCVIII, mulier, honesto loco nata, inopia & egestate coacta, Roma discessit, ac profecta est Taliacotium, quod est oppidum in Marsiis, ibique cœpit virgines, quæ annum duodecimum non excederent, literas docere, præterea acu pingere, Phrygiumque

que aliquod opus efficere. quamobrem, discendi gratia, multarum ad eam concursus fiebat; quarum una accusata est apud ipsam, quod alteri cultellum, scite factum, surripuisset. quam ipsa primo blande appellavit, rogavitque, ut, quod sustulisset, referret; sed postea impudentissime neganti, à se quidquam ablatum, interminata est, si mentiri persisteret, se de ea verberibus supplicium quam longissimum esse sumpturam. at illa, quo omnem à se furti suspicionem removeret, Si mentior, inquit, D. Luciam deprecor, ut me luminibus orbam efficiat. vix biduum ab hac imprecatione intercesserat, cum altero capta est oculo, adeo ut pupilla emarcesceret, & saniem foras emitteret. hæc excepta sunt ab eis, qui præsentes fuerunt, ac rem ipsam oculis acceperunt.

XCVIII. *Pecunias, ex ecclesiasticis redditibus coactas, & cognatis relictas, cito dilabi.*

QVanto in errore versentur, qui ecclesiasticis bonis utuntur ac fruuntur, si opes ac divitias, avariter ex eis collectas, putant generi ipsorum fore sempiternas, multæ nostra patrumque memoria summorum virorum familiæ declarant, quæ intra paucos annos, quam ad summum pervenerant, præcipiti fere lapsu conciderunt, adeo ut vix aliquod sui vestigium reliquerint. non est necesse à me quemquam nominari; quocunque oculos converterimus, licet ibi plurima harum familiarum quasi cadavera diruta atque prostrata conspicere. sed incredibile dictu est, quam cito, me puero, immensæ Abbatis cujusdam opes, liberis ipsius, ut erat fama, relictæ, perierint. nam illi, præter ternas ædes amplissimas magnificentissimasque, in celeberrima urbis parte sitas, atque ornatissimam suppellectilem, magnam etiam, tum in nominibus, tum numeratam, pecuniam testamento perceperant. hæc bona tam multa, ac tam late dispersa, si flamma corripuisset, prope dixerim, non tam cito in fumum redigere potuisse, quam sunt ab ipsis dissipata atque consumta. vix integrum decennium

effluxerat, ab adita hæreditate, cum infinitæ eorum largitiones, immanes sumtus, improbissimæque effusiones, nihil fere ex tantis opibus reliquerunt. ex quo factum est, ut, qui antea conspecti essent in serica atque aurea veste, postea pannis pene obsiti, ab omnibus despicerentur; qui antea multo magnoque comitatu instructi per urbem incessissent, postea soli, atque ab iis deserti, quos aluerant & locupletaverant, prodirent; qui rheda, auro interlita ostroque constrata, vecti essent, postea pedibus iter haberent. itaque aliis risum, aliis misericordiam commovebant, aliis prudentioribus erant exemplo, quam longe insania ac scelere prodeant, qui, ex facultatibus pauperum, familiam ac nobilitatem generis se posse fundare ac stabilire, sibi persuasum habuerint.

XCIX. *Non oportere, ædium proferendarum gratia, Dei immortalis ac Sanctorum suorum templa diruere.*

NOn defuere hac nostra memoria, qui, ut domos ædificarent, vel hortos, quos voluptatis sibi causa comparaverant, laxiores efficerent, templa religiosissima antiquissimaque diruenda soloque æquanda curarunt: verum id, quamvis auctoritas publica semper accesserit, tum ipsis, tum ipsorum familiæ, fœde atque infeliciter cessit.

Quidam vir locuples ac nobilis, non multis ab hinc annis, quo ædes suas quadraret, templum B. V. sacrum, & antiqua religione præditum, demoliendum, atque alterum, in alia parte, non ita magno sumptu excitandum curaverat: verum non diu hoc perfunctus est gaudio. nam ipse amplo ornatus magistratu ac munere, obiit, & ingentis pecuniæ, qua illud comparaverat, jacturam fecit, non sine magno totius familiæ damno; ejusdem vero frater, nullo morbo præeunte, delapsus est in furorem, adeo ut non solum intra verba desiperet, sed nudus in viam exiret, sibique aliisque noceret; quamobrem vinctus, non ita multo post in catenis est mortuus.

Alter

Alter etiam, longe ampliori munere præditus, quod impense coëmerat, magna etiam apud Principem auctoritate & gratia; qui sine ulla dubitatione, si longior illi vita suppeditasset, processisset honoribus longius; quo ædibus, quas omni luxu instructas ornaverat, cubicula aliquot & ambulacra adjungeret, Ædem sacram, suis ædibus contiguam, demolitus fuerat, primum, intra paucos menses, valetudine devolutus est, adeo ut nec manibus nec pedibus uti posset, deinde cum ingenti familiæ suæ damno, doloris magnitudine & acerbitate, de medio sublatus: illas vero magnificas ædes, in quibus ædificandis tantum sumptu processerat, &, quod refert, Dei domum everterat, soloque æquarat, heredes ejusdem, re necessaria compulsi, coacti sunt statim, cum incredibili jactura, divendere.

Alter item, Romæ, vir nobilis, vetustissimum templum in stabulum equorum converterat. non tulit hanc injuriam Deus, sed vindicavit, tum in ipso, tum in ejus liberis. nam & ipse fere semper conflictatus est cum adversa fortuna, & filii, quos genuit, parum mente valuerunt, neque ad senectutis initia pervenerunt; nam ferme omnes ante quadragesimum vitæ annum sunt mortui; è quibus ille, qui ceteros ætate antecedebat, cum, ex insania, violenter quædam manu faceret, vinctus est, diuque in compedibus habitus. nempe summa ac singulari sapientia, hoc præsertim supplicii genere usus est in illos Deus. ejus enim liberos, ex hominibus, passus est prope in pecudes verti, qui pecudum greges in ipsius templum induxerat.

C. *Neque joco, neque serio, sanctos viros ludibrio esse habendos.*

Sixtus V Pont. Max. pro sua in B. Virginem pietate ac religione, Basilicam S. Mariæ ad nives in Exquiliis expolivit, ornavit, sacello augustissimo auxit, auro, lapidibus preciosis, omnique regalis opulentiæ cultu referto; tum, ut ea clarius magnificentiusque pateret ad oculos, humiliora circa ipsam ædificia dirui, soloque æquari

æquari imperavit; præterea plures directas ad eandem Basilicam vias aperuit ac munivit, collem Exquilinum, antea arduum, mollivit, & in ejus medio obeliscum, ex ruinis Mausolæi Augusti Cæsaris erutum, erexit: quibus rebus perficiendis, fuit necesse multas ædes subvertere, & in his ædiculam, ad radices ejus collis sitam, ubi depicta erat imago D. Antonii Abbatis; cui faber murarius, qui ædiculam demoliendam conduxerat, quo fortasse facetus videretur, Pace tua, inquit, Antoni, non potes effugere, quin tibi hoc malleo, quem gero, crus adimam. vix ea dixerat, cum pede lapsus, è ponte, quem in alto suspenderat, decidit, & crus alterum misere fregit; atque suo illo gravissimo miseroque casu, viro sanctissimo, omnique honore dignissimo, quem petulanter læserat, insulsi illius joci pœnas dependit.

CI. *Opifex quidam, Dei ac S. Caroli Cardinalis ope, ex dæmonis manibus eripitur.*

CArolo Cardinali Borromæo, à Paulo v Pont. Max. in Sanctorum numerum relato, tanta apud omnes gentes, ac Romæ præsertim, ubi quondam opibus & auctoritate floruerat, sancti viri religio esse cœpit, ut essent miraculo, concursus, omnis ætatis atque ordinis hominum, qui ad sacram ejus Ædem omnibus horis fierent. at in iis, à quibus vir ille sanctissimus singulari studio ac religione colebatur, opifex erat Romæ, qui habitabat in foro agonali; hic quotidie bene mane surgebat, atque in Ædem D. Ambrosii se conferebat, ut sacrosancto Missæ sacrificio interesset, quod in sacello B. Caroli fieri celebrarique solitum erat. hic die quodam, cum solito maturius surrexisset, fit illi obviam in via ignotus quidam, quem postea humani generis hostem esse comperit; qui summa vi hortari & cogere eum cœpit, ut regrederetur, neque pergeret longius; nihil enim opus esse, eo die, Missæ sacrificio ipsum adesse: at ille, nunquam se commissurum, respondit, ut, nisi eo sacrificio absoluto peractoque, reverteretur, cujus gratia domo migrasset. tum rursus dæmon instare, ut regrede-

grederetur; nam illud ipsi sacrum, quo tenderet, magnum damnum vel malum allaturum. cui ille, Dei ac B. Caroli fiducia tutum, sperare se, ait, quæcunque instarent pericula evasurum. verum dæmon, ubi eum videt, nullis neque precibus neque terroribus de sententia posse deduci, ad vim confugit, atque, impetu facto, obtorto eum collo est conatus abstrahere. sed Dei ac B. Caroli nomine invocato, violentas dæmonis manus evasit, nec præterea ab illo est aliquid periculi ortum, vel mali.

CII. *Insignem musicum, jam ferme morientem, modorum pœnitet, quos impuris carminibus adhibuerat.*

LVcas Marentius, cui, nostra tempestate, magnum erat inter musicos nomen, multa modulatus erat parum honesta, nec satis Christiano homine digna; ad quem jam ægrum planeque depositum accessit P. Iuvenalis Ancina, cujus antea meminimus, quo amicum inviseret; & consolaretur extremo illo tempore. sed simulac ipse Patrem aspexit, petivit alte suspirium, atque, Vtinam, inquit, mi Pater, modos, quos feci, vel nunquam edidissem, vel delere sanguine ipso possem, ut nullum eorum vestigium extaret. sed jam neutrum in manu sua erat. nam neque infecta facta reddi possunt, *neque scit*, ut Horatius inquit, *vox missa reverti*. verum tum ille quidem est mortuus; sed fortasse, si convaluisset, nihilo melior esset effectus, sed morem antiquum obtinuisset. quamobrem recte sublatus est à Deo, dum ea illi mens erat, qua potuit ab eo peccatorum illorum veniam impetrare, quæ tum ipsum commisisse pudebat pigebatque.

CIII. *Adolescenti, graviter ægro, longam dæmon schedulam objicit, ubi omnia ejus peccata descripserat.*

IDemmet P. Iuvenalis scriptum reliquit, cum etiam tum versaretur in aula Oratoris Cæsarei, eique navaret operam medicus, ibi viciniæ, ubi habitabat, adolescentem quendam graviter, ac sine ulla spe salutis fuisse ægrum; & cum invitatus esset, ut adolescentem illum, si sibi videretur, inviseret, non invitum venisse ad eum, sed repente, nova re atque inopinata percussum, propemodum exhorruisse. etenim audiebatur ille æger altercari, cum nescio quo ab omnium oculis aspectuque remoto, ac vehementer perturbatus, atque perterritus, identidem dicere, Quam longa hæc est schedula? quam ingens? profecto voluminis cujusdam instar videtur habere. at scribit Iuvenalis, venisse sibi in mentem, exquirere de familiaribus, quid ille adolescens hominis esset, & quod vitæ genus secutus fuisset; ac reperisse, hominem esse nequam, & flagitiis coopertum; ac tum demum intellexisse, quid sibi verba illa vellent; nimirum vitæ rationem mox reddituro, volumen criminum suorum, ante oculos statui, quæ, si vellet, inficiari non posset. ac credibile est, idem omnibus accidere, qui secus quam decuit vixerunt; quod videtur voluisse Deus illis verbis significare, *Existimasti, inique, quod ero tui similis? arguam te, & statuam contra faciem tuam.* etenim improbus, quod non statim à Deo puniatur, se liberari, non in aliud tempus reservari, arbitratur; sed postea, mortis tempore, ab opinione sua se fuisse deceptum intelligit. addit Iuvenalis, adolescentem illum esse mortuum; utrum justorum, an peccatorum morte, se adhuc comperti nihil habuisse; sed verisimile est, illum, dignum moribus vitæ exitum habuisse. raro enim accidit, ut vita, turpiter acta, honesta ac laudabili morte terminetur.

Non videtur mihi prætereundum hoc loco, quod de duobus quibusdam amicis legitur, quorum unus laudi atque

atque virtuti, voluptatibus alter studebat. mortuus est voluptarius ille, & aliquanto post conspectus, & auditus ab altero, qui superstes fuerat, verba illa proferre, *peccantem me quotidie, & non me pœnitentem, timor mortis conturbat me*; & interrogatus, cur reticeret ea, quæ sequuntur, *miserere mei Deus, & salva me*, Quia misero mihi, inquit, sempiternis & acerbissimis apud inferos ignibus tradito, nulla neque salutis neque misericordiæ relicta spes est. quæ cum dixisset, è conspectu evolavit, intolerabilem odoris teterrimi fœditatem ex se relinquens.

CIV. *Atrox divinæ severitatis exemplum in duos editum, qui, nefaria libidine, Dei templum deturpaverant.*

ILlud vero horrendum formidandumque, quod in sermonibus D. Vincentii Ferrerii scriptum invenitur. Refert vir hic sanctissimus, cum, vespere feriæ quintæ majoris hebdomadis, luminibus remotis, Christi domini passionis historiam populo frequenti narraret, duos quosdam, in angulo ejus ecclesiæ, ubi sacram illam concionem habebat, suadente libidine, hortantibus tenebris, ceterorum animis attentis, nefario execrandoque concubitu, sacrosanctum illud templum ausos esse polluere; tum ipsum (divinitus, ut arbitror, edoctum) clamores maximos extulisse, & magna voce cœpisse lumina poscere. etenim in illis tenebris, divinam omnipotentis Dei majestatem gravi & inexpiabili scelere violari; ad quam vocem accurrisse æditua, aliosque cum facibus, explorasse omnia, atque invenisse infelicium duorum illorum corpora, ita ut una erant, tanquam arida quædam ligna, fœtido nigroque igne torreri.

CV. *Me-*

CV. *Memoranda atque admirabilia duorum longe illustrium virorum exempla, qui, delata ipsis Cardinalatus insignia, nisi coacti, recipere noluerunt.*

CVm multa, hac nostra memoria, contigerint satis digna, quæ posteris in exemplum prodantur, tum haud scio, an quidquam sit dignius, in quo commemorando efferendoque præclara inter se eruditorum hominum certent ingenia; quod nimirum inventi sint duo, qui egregia quadam magnitudine animi, & contemptu rerum humanarum, ea fastidirent atque contemnerent, quæ alii per ignes ferrumque, ut dicitur, petunt; videlicet Cæsar Baronius Soranus, & Robertus Bellarminus Politianus; quorum uterque delatam sibi à Clemente VIII Pont. Max. amplissimam Cardinalatus dignitatem constantissime repudiavit, ac nisi Pontificis imperium in eos atque potestas vim adhibuisset, nulla conditione, eorum quisquam, tanto se honore cohonestari sustinuisset. nempe soli ex omnibus intellexerunt, quanto majus esset, edita in altum loca refugere, quam appetere. sed non est mirandum, tantum facinus ausos esse eos, qui ex duorum longe sanctissimorum hominum disciplina prodierint. alter enim in nutricatu, ut ita dixerim, Sancti Philippi Nerii educatus, ex illa indole eam in recusandis honoribus animi demissionem arripuit; alter ex Sancti Ignatii Loyolæ schola profectus, ea didicit, quæ tantopere alii admirantur, contemnere, ac pro nihilo ducere.

CVI. *Frequens sacræ Eucharistiæ usus, tutissimum adversus carnis nequitias præsidium.*

INter admirabiles sacræ Eucharistiæ fructus ille in primis numeratur, quod eum, qui frequenter ac pie eadem utatur, firmissimo adversus carnis illecebras præsidio servet, atque muniat.

Narravit olim vir mihi longe cariſſimus, quem tanquam me diligo, qui audet omnia ſua conſilia mihi credere, cujuſque voluntate hæc de illo, ſuppreſſo tamen nomine, commemoro; ſe, vehementiſſimo quodam amoris ac libidinis æſtu compulſum, lapſum eſſe in muliere quadam; à cujus conſuetudine, cum vellet poſtea recedere, & ad prioris vitæ conſuetudinem redire, non fuiſſe ſibi ejus rei poteſtatem; quod obſiſti non poſſet, quin mulier, ferox ingenio, ac freta liberis adultis ætate, per vim domum ad ſe non introiret, rurſuſque, quibus poſſet modis, ipſum ad peccandum conaretur attrahere, adeo ut interdum, ad vim confugeret, & quia corporis magnitudine viribuſque præſtabat, ipſum male multatum ad terram abjiceret: verum adverſus ejus impetus hoc remedium excogitaſſe, ut ſingulis diebus Dominicis, præter Chriſti domini, B. Virginis, & Sanctorum aliquot dies feſtos, Chriſti corporis myſteria ſuſciperet; quo fiebat, ut hoc ſingulari præſidio tanquam vallo munitus, ex illis periculoſiſſimis pugnis ſuperior ſemper excederet. at multis mihi cum lacrimis narrabat, quod, die quodam Dominico, cum neſcio qua de cauſa neglexiſſet iis ſe armis tegere, quibus indutus hoſti terribilis erat, veniſſe illam, cœpiſſeque ipſum, ex ſolito, ſuis artibus ad nequitiam allicere; tum vero, nudatum armis, atque infirmiſſimis viribus, ne primos quidem ejus impetus ſuſtinere potuiſſe, ſed confeſtim turpiter deditionem feciſſe; quamobrem, malo ſuo edoctum, deinceps cautiorem eſſe factum, neque unquam commiſiſſe, ut ſine ſalutaribus illis armis in certamen deſcenderet. quibus egregie munitus omnes ſæviſſimæ illius mulieris impetus audacter excepit, ac fortiter propulſavit.

CVII. *Quid*

CVII. *Quid puellæ acciderit, quæ reprehensa à parentibus, quod fuco malas muliebri præter modum expoliret, dicto audiens esse noluit.*

FOrmæ studium atque cupiditas, adeo insita est in animis mulierum, ut ea cultus sui cura, in ipsis ferri tolerarique posse videatur, quæ intra certum modum sese contineat, verum si honesti fines transeat, reprehensione digna sit atque odio.

Mulier erat quædam, quæ proprium & naturalem oris sui nitorem contemneret, eidemque adventicium fucoque quæsitum induceret, ac totos dies purpurisso, cerussa, aliisque id genus pigmentis, sibi malas inficeret. itaque, cum esset honestis orta parentibus, in morem meritricis, fictam pictamque in hominum conspectum prodire non erubescebat; quæ res magnum propinquis, ac parenti ipsius in primis, dolorem inurebat; qui non cessabant eam hortari atque admonere, ut nimiam illam cultus sui curam diligentiamque remitteret. sed nihil proficiebant; nulla enim cujusquam, neque auctoritate neque oratione, adduci potuit, ut quidquam de inani illo studio deponeret: verum cum illi parens, deterrendæ ejus gratia, atque ab inani illa solicitudine abripiendæ, Deo esse invisas diceret, quæ sibi formam fingerent, & novam quasi faciem imponerent, easque procul à divino ipsius conspectu repelli; contemsit illa, atque arrogantibus sane verbis, si me, inquit, nolit Deus ad se recipere, abigat quo velit, nihil ejus conspectum moror; nam certum est mihi, suum corpori cultum non eripere. mortua est mulier, & Christianæ sepulturæ mandata; sed tellus tanquam dedignaretur eam amplecti, quæ Deum à se repudiasset, suo è gremio foras exclusit. quod cum patri renunciatum esset, elatam è templo, ad litus maris deportari jussit, atque in arena sepeliri; quæ item retinere apud se eam noluit, cui prope fuerat Dei conspectus invisus; itaque paulo post foras evomuit. tum pater, commotus, evocasse dicitur dæmo-

monem, & clare omnibus audientibus dixisse, ut ejus quoque sibi corpus haberet, secumque ad inferos traheret, cujus jam animam esset potitus. atque ejus imperiis præsto fuisse diabolus creditur. nam infelix illud cadaver, ab oculis sublatum, nusquam postea est visum.

CVIII. *Delicatæ cujusdam mulieris luxus, à Deo fœdo horribilique morbo, compescitur.*

MVlier quædam Venetiis fuisse traditur, quæ ita nitide corpus suum curaret, ita molliter delicateque haberet, ut dedignaretur ejus sordes communibus atque usitatis aquis abstergere, sed rosaceis tantum, aut aliis ejusmodi odoratis aquis uteretur: verum hæ tam putidæ ambitiosæque deliciæ magnum illi, apud Deum, odium pepererunt; qui graviter offensus, tam fœdum illi morbum immisit, ut ejus fœditatem odoris ne bestiæ quidem ferre possent; ancillæ autem, quod non auderent ad eam accedere, ne ejus corporis afflatu exanimarentur, procul stantes, cibum ægræ porrigerent, ac statim deinde recederent.

CIX. *Ludos publicos à privata aliqua calamitate vix esse sejunctos.*

PVblica spectacula à privato aliquo damno vel malo non procul abesse, testes sunt hominum cædes, rixæ, spectaculorum ruinæ, & alia ejusmodi, quæ non parum sæpe contingunt. quamobrem sapienter faciunt, qui alienum ab his nugis animum gerunt. at fuit vir nobilis, qui solemnes popularibus suis ludos daturus, admonitus est à viro prudenti ac probo, ut animum ab his rebus avocaret; fere enim semper ejusmodi gaudiis luctum aliquem esse finitimum. cui respondit, minus bella ea esse spectacula, quæ non essent cum aliquo infortunio conjuncta. sed infortunium illud, quod non abfore ab iis ludis prædixerat, in domum suam recidit. nam cum rixa committeretur, in illa ejus interfectus est filius.

istuc

istuc & superius, à Io. Matthæo Ancina, qui suis fortasse oculis utrumque acceperat, habui.

CX. *Vitam male actam, similis fere exitus plerumque consequitur.*

VEnetiis adolescens nobilis, ex amplo patrimonio nihil sibi reliqui fecerat, sed libidinibus totum absumpserat: verum cum ex ægritudine animi, sive potius ex intemperantia, lethalem in morbum incidisset, neque esset, ubi in suo pedem poneret, tecto receptus est à meritrice, ad quam bonam facultatum suarum partem detulerat, & in culcita plumea lectoque splendido collocatus. sed ad extremum vitæ adducto, atque exhalanti jam animam, sacerdos aderat nemo, qui esset auxilio ad bene moriendum; sed circumstabant lectum congerrones, collusores, & compotatores ejusdem, qui, ad mortem hilariter obeundam, hominem hortabantur his verbis, Morere æquo animo; non enim in publico, ut metus erat, occisus, vel in stramento, ut æquum fuerat, positus, sed in culcita plumea, & sub serico conopeo, ex hac vita discedis. atque inter has cohortationes consolationesque, & in complexu illius meritricis, illud mortis genus obiit, quod quivis Christianus detestatur ac refugit.

CXI. *Dei atque Sanctorum templa sacris precibus, non autem impuris cantionibus, celebranda.*

ANno Domini MDCXXX, cum in Æde D. Petri in Vaticano egregii cujusdam operis forma ædificaretur, & magnus fabrorum numerus, ex machina lignea, Apostolorum principis aræ imposita (ea enim illo erat opere exornanda) elaboraret, eorum unus, fortasse molestiæ, quam labor habet adjunctam, minuendæ vel fallendi temporis gratia, amatoriam quandam cantiunculam exorsus est canere, ita clare, ut à sacerdote, qui

prope ab eo loco confeſſiones audiebat, exaudiretur. à quo admonitus, ne templum, omnium religioſiſſimum, ipſis ſacratiſſimis Apoſtolorum corporibus imminens, impuris illis cantiunculis contaminaret; contemſit ille, neque minus laſcivum illud proſecutus eſt carmen. ſed brevi ſpretæ religionis & admonitionis pœnas exſolvit. nam pede lapſus, ex altiſſima illa machina graviſſimo caſu corruit, atque ad ipſam Apoſtolorum aram, miſerabiliter eliſus & comminutus, occubuit.

CXII. *Neminem, quantumvis humilem, eſſe contumelia afficiendum; nam poteſt illum Deus repente ad ſummum honoris faſtigium evehere; qui autem contumeliam fecerit, inſolentiæ ſuæ pœnas dependere.*

IMprobi parentis filius, ſi propriis peccatis prematur, interdum tum ſuæ tum parentum improbitatis pœna defungitur; quemadmodum ſubalpini cujuſdam filius, cujus parens cohortem, cui præerat, cum in cœnobium Fratrum Dominicanorum hyematum duxiſſet, humaniſſimis verbis admonitus eſt, à Fratre Michaële Ghiſlerio, ejus cœnobii Priore, ut militum ſuorum licentiam compeſceret, qui, ut mos eſt illorum hominum, in ea religioſa domo, quidvis ſibi licere exiſtimabant. at homo inhumaniſſimus, magna oris verborumque contumacia, Si hiſcere, inquit, audes, jubebo te præcipitem in proximum hunc puteum dari; erat enim in eo periſtylio puteus, quem ſibi fratres ad uſum domeſticum foderant. quam contumeliam vir ſanctiſſimus animo æquiſſimo tulit. ſed aliquot poſt annos, celeriter, per omnes honorum gradus, ad ſummi Pont. faſtigium evectus, præfectum illum militum, qui ita fuerat in ipſum contumax, ſibi ad pedes jacentem aſpexit, miſſum à ſuis civibus Romam, de maximis rebus legatum; quem interrogavit, num Fratris cujuſdam Dominicani meminiſſet, quem olim, de militum ſuorum injuriis querentem, aſperrime rejeciſſet, atque etiam interminatus eſſet, ſe juſſu-

jussurum eum præcipitem in puteum agi, si esset ausus mutire. ille, se totam rem optime in memoria habere, respondit. tum Pontifex, Ego ille sum, ait, quem tu dignum ea contumelia judicasti. ad quam vocem non minus consternatus est animo miles ille, quam undecim illi fratres, auditis illis verbis ex eo in quem impii atque crudeles extiterant, *Ego sum Ioseph frater vester, quem vendidistis in Ægyptum.* verum Pontifex, hominis jacentem animum excitavit, eundemque humanissimis verbis, ac pluribus etiam beneficiis ornatum atque auctum, à se dimisit. illud vero, ut dicere institueram, divinæ animadversionis exemplum admirari licet, quod ejus filius apud eum puteum est interfectus, in quem summus Pont. ex illius edictione, præcipitandus & ad mortem dandus fuerat, nisi quiesset.

CXIII. *Spreta ac violata sacri cujusdam Templi religio, multorum hominum interitu, expiatur.*

QVod Dei immortalis Templa pie & caste celebranda sint, atque omne ab eis scelus & flagitium removendum, multa atque gravia, edita in homines impios & sacrilegos, exempla testantur. sed in primis argumento sunt homines, ad mille & ducentos, anno MDCXI, horribili incendio necati.

Est locus in Regno Neapolitano, magna & antiqua religione præditus, Deiparæ Virgini sacer, distans Avellino quinque millibus passuum; quem in locum, die sacro Pentecostes, ex vicinis oppidis pagisque incredibilis cujusvis generis hominum multitudo confluit, religionis ac pietatis ergo. erat Ædi sacræ adjuncta urbis pene instar domus, ad hospitum adventum excitata, in qua trecenta & eo amplius cubicula numerabantur; ad hæc multa accedebant ambulacra, & loca, cuivis pervia, quæ omnia à multitudine complebantur; nec cum possent omnes excipere, necesse erat multis, in templum ipsum divertere, ubi, fœminis permisti, pernoctabant, epulis vinoque operam dabant, multaque alia

nefaria stupra faciebant, non satis digna quæ in intimis lupanariorum recessibus committerentur; madebant pavimenta vino, redolebant epularum nidore parietes, personabant fidium ac vocum impurissimarum cantu, fervebant omnia stupris, adulteriis, ac furtis. quæ res mihi videntur in primis Deo quasi vim quandam adhibuisse, ut eorum, de quibus loquimur, supplicio ceteros edoceret, quid sit periculi sua ac Sanctorum suorum templa flagitiis atque sceleribus inquinare atque polluere. Itaque mense Iunio, sacro diei Pentecostes pervigilio, mediam circiter noctem, ingens illud ædificium, plenum hospitibus, qui ad decem millia convenerant, ignem concepit, ac duabus horis deletum est totum. at ingens illa hominum multitudo, terrore metuque percussa, verensque ne intra ædes opprimeretur, duabus ædium portis, quarum ea, qua aditus erat in peristylium, janitorum incuria, inventa est clausa, salutem sibi atque exitum quæritabat; quorum hominum pars magna, cum ipsi se impedirent, multitudine & angustiis oppressa exanimabatur; alii, ne in eas angustias devenirent, de fenestris se præcipitabant in viam, alii ab igne intercepti comburebantur. quamobrem magni ubique mortuorum acervi conspiciebantur; quorum numerum qui iniere, eos referunt ad mille & quingentos & eo amplius pervenisse; quorum omnium plus mille in ædium portis oppressi, abeuntium terrore & fuga deperierunt. eximuntur ab hoc numero infantes & pueri, qui, una cum parentibus, in turba elisi interierunt; qui vero vel crura fregerunt, vel oculos amiserunt, vel se in turba ruperunt, propter eorum multitudinem, non fuit eos facile ad certum numerum revocare. Hæc excerpsimus ab epistola episcopi Avellini ad Marcellum Vitellescum, Basilicæ S. Mariæ ad Nives Canonicum, scripta.

CXIV. Mo-

CXIV. *Morientis cujusdam exemplo ostenditur, non esse pœnitentiam in supremum vitæ tempus rejiciendum.*

QVam male sibi consulant, quantumque à ratione recedant ii, qui pœnitentiam, rem peccatoribus tam necessariam, in supremum vitæ tempus rejiciant, horribiles multorum exitus probant, quibus ea res infeliciter cecidit. sed quid habeat ea res mali, ostendit nuper sacerdos quidam Etruscus, annos prope sexaginta natus, qui anno MDCXXIV, quadragesima jam exeunte, delatus est æger in Nosocomium S. Ioannis, nationis Florentinæ; quod est in urbe Roma; ubi etiam feria V majoris hebdomadis, peccata sua confessus est, atque, ex præcepto Ecclesiæ, Christi corporis sacramenta percepit; sed paucos post dies ita æger esse cœpit; ut medici diffiderent. quamobrem persuasus est à Parocho, ut sacro se oleo ungendum sacerdoti præberet; quod ille consilium lubens admisit, ac statim deinde à Parocho, qui cubitum ivit, admonitus, ut, si qua in re opera ipsius egeret, se per valetudinarium evocaret. erat cubiculum, ubi Parochus cubabat, Nosocomio adjunctum, ut facile, si quid in eo ageretur, exaudiri posset. itaque, horam noctis circiter quintam, magnis ejus ægri clamoribus & lamentationibus excitatur; qui æger, tanquam si cum aliquo concertaret, modo arguebat, modo dicta refellebat, modo vocem summittebat, modo tollebat. accurrit Parochus, atque eum invenit, in summam suæ salutis desperationem adductum, dicere, Heu, mihi, longe post homines natos improbissimo, omnes ad divinam misericordiam aditus sunt præclusi; cui utinam nunquam in hanc miseram lucem edi contigisset. atque his similia quamplurima addere, quæ desperatio dictat. non defuit Parochus, tam necessario tempore, laboranti succurrere, & jacentem desperantemque rebus suis animum ad spem salutis erigere; sed operam inanem sumebat. nam, commodum eam ad rem tempus præteriisse clamabat; ac,

Vide, inquit, dæmonem, qui me pedibus abripere, secumque conatur abstrahere; atque, eadem opera, reductis ad os genibus, glomeris cujusdam instar, se convolvebat. tum Parochus, ad fugandum dæmonem ejusque vim inhibendam, aquam lustralem, exorcismos, & precationes adhibuit. cui dæmon ægrotantis ore, sed voce dissimili, respondebat, aquam lustralem, exorcismos, precationesque, nullam adversus se vim habere pro eo, qui sibi jam pridem, ob nefaria ejus scelera atque flagitia, esset addictus. huic dæmonis orationi fidem in primis astruebat ipsiusmet ægri confessio, qui sacrosanctæ ac divinissimæ Trinitatis, Patris & Filii, ac Spiritus sancti opem à se repudiabat, neque rei quidquam sibi amplius cum Deo esse narrabat, quod mox præceps agendus esset in ultima inferorum loca, ibique una cum Iuda, ceterisque omnium ætatum sceleratissimis hominibus, sui similibus, æternis pœnis suppliciisque excruciandus. Dæmon execrandas hominis libidines cupiditatesque in medium proferebat, multa Italiæ oppida, ac præsertim Venetias, amores & delicias illius, commemorabat; objiciebat illi poëticæ studium, cui multum temporis atque operæ dedisset; revocabat in memoriam, flagrantem illius cupiditatem studiumque, thesauros veteres defossos inveniendi, improborum hominum amicitias, ludos, jocos, convivia, atque alia quamplurima, quæ longum esset enumerare, quarum omnium voluptatum distractio, vastitas, & interitus in foribus esset. illud unum Parochus urgebat, ut desperatione debilitatum, ad fiduciam divinæ misericordiæ, præsertim boni latronis exemplo, traduceret, qui puncto temporis ex cruento sicario vir sanctissimus, ex nefario prædone, regni cælestis possessor evaserit; hunc sedulo sibi subjiceret, de hoc cogitaret; ita enim (superatis desperationis scopulis) reliquum sibi cursum, ad divinam misericordiam, facilem fore; etiam, dare operam tempus, nondum infinitam illam divini in eum amoris vim exaruisse, sed large, ut antea, fluere, modo ea ipse peccata, quæ sibi objicerentur, intimo animi dolore defleret. Nugas agis, inquit dæmon; acta res est; audebitne ille divinæ bonitatis mentionem facere, qui

eam

eam à se repudiarit ac rejecerit? quem poterit de peccatis dolorem afferre, qui eum animo conceperit nunquam, qui contritionis vim, qualis sit, ne definiendo quidem, explicare didicerit? proinde, quo dignus est, properet, nimirum ad damnatorum supplicia. quæ supplicia num ad breve nescio quod tempus durabunt? minime, num ad longissimum, videlicet ad decies centena annorum millia? minime, verum ad multo plures. quam diu igitur acerbissimis illis doloribus excruciabitur? quam diu Deus existet, hoc est, in omni æterni temporis spacio. respondebat æger, vera ipsum loqui, propterea nihil esse in se moræ; itaque præiret, se continuo præeuntem secuturum. denique, multis verbis ultro citroque habitis, dæmon recessit; cujus abitu, æger recreatus, Deo, inquit, gratias, (hanc primum Christiani hominis vocem emisit,) discussis tenebris, sua demum menti lux rediit; centum amplius dæmones, impetu facto, mihi ad pedes advolarunt; unus, forma major ceteris, me faucibus arreptum, obtorta gula, secum conabatur abstrahere, multis præterea criminibus me esse affinem ajebat, unde longissime absum. tum cœpit, interruptis ac morientibus vocibus, divinam sibi opem implorare, ac plura pœnitentis atque adeo contriti animi signa præbere. at interrogatus à Parocho, num vellet rursus peccata, quorum meminisset, confiteri, respondit, id debilitatas fractasque jam vires non pati, neque ita multo post, identidem perflans, excessit è vita.

CXV. *Quanto scelere se alligent, qui emptores decipiunt.*

QVamvis propositum sit nobis, ut diximus, ea tantum mandare huic nostro libro, quæ nostra, vel paulo superiore memoria, à nemine, quod sciam, litteris comprehensa, contigerint; attamen non arbitror alienum à proposito, quod legentium utilitatem in primis respicit, nonnulla etiam inserere, quæ in veterum libris, aliarum rerum multitudine quasi obruta, plurimorum notitiam effugiunt.

Narrat

Narrat Mombritius in vita Sancti Bassani, Laudensis Episcopi, virum illum sanctissimum, cum Mediolanum se contulisset, venisse obviam deceptori cuidam, vendenti, quæ ad pondus non responderent, atque animadvertisse parvulum quendam Æthiopem, stateræ lanci hærentem, eandem deprimere; tum Episcopum rogasse eos, qui cum eo erant una, num illud idem acciperent oculis, quod ipsi pateret? respondisse illos, se non plus videre, quam cæteros, qui præsentes adessent; tum Episcopum dixisse, Quid igitur precibus parcimus? cur non impetramus à Deo, ut vos quoque visionis ejusdem participes faciat, quo res tam admirabilis, vestris etiam testimoniis clarior existat, ac meritis laudibus, divinæ misericordiæ vis magnitudoque efferatur? nec mora; in preces fusi, Clemens sacerdos, Elboniusque diaconus, perpusillum se Æthiopem intueri., clamarunt. quamobrem Episcopus mendacem illum, in stateris suis, seorsum à ceteris eductum interrogavit, cur ponderibus falsis emptores deciperet. ille primo negare, à se quidquam dolose fraudulenterque committi; sed acceptis iis, quæ Deus salutis ipsius gratia demonstrasset, ad sancti Episcopi pedes accidere, peccatum suum fateri, ejusque veniam orare. cui sapiens Episcopus, pœnæ loco, imposuit, ut, quod ipse unciatim emptores defraudans coëgisset, universum in pauperes erogaret. quod cum ille sine ulla mora fecisset, plenus spei lætitiæque, quoquam venerat, Dei in se clementiam commemorabat, ac suo alios exemplo admonebat, ne fraudes sectarentur, sed suum unicuique tribuerent.

CXVI. *Mulier ægra ex longo gravique morbo, D. Bernardini Senensis ope sanatur.*

QVa tempestate D. Bernardinus Senensis omnium ævi sui longe sanctissimus, Perusii commorabatur, eam, vitæ sanctitate & innocentia, ac præsertim notandis animadvertendisque hominum vitiis atque peccatis, probitatis opinionem sibi confecerat, ut esset omnibus exemplo atque miraculo. itaque singuli ejus se pre-

cibus commendabant; quibus freti, omnia se à Deo impetraturos arbitrabantur. sed ex iis, qui in ejus opem confugerunt, mulier fuit vidua, gravi diutinoque morbo confecta; hæc magnam in spem sanitatis venerat, si assequi potuisset, ut semel ejus vestes attingeret. hac igitur fiducia divinæ misericordiæ nixa, sancti viri vestibus manus admovit, easque pertractare cupidius cœpit. quæ res non mediocrem servo Dei animi permotionem attulit; qui, præter eas quarum confessiones excipiebat, nullam ad se mulierem patiebatur accedere, vel sermones cum ipso conferre. sed cognita probataque mulieris fide, captus misericordia, perfectam à Domino sanitatem eidem revocandam restituendamque curavit.

CXVII. *Idem S. Bernardinus, Perusii, adolescenti, qui belli quam pacis studiosior extiterat, subitam mortem prædicit.*

HIc igitur vir sanctissimus, cum accepisset Perusii, dissensione inter cives orta, populum frequenter ad arma concurrere, manus conserere, ac magnam civium cædem facere, eodem accurrit, & concione advocata populum hortari ad concordiam cœpit; & cum jam oratione sua popularium animos ad pacis studia propensos agnosceret, Fiat, inquit, discessio; quique pacis otiique sunt cupidi, in dexteram partem secedant; quibus autem bellum magis est cordi, in alteram. & inventus est nemo, qui bellum paci, perturbationem ocio, anteferendum existimaret, præter unum adolescentem nobilem, factiosum, qui fretus opibus divitiisque, quibus pollebat, perturbari ac permisceri omnia cupiebat; hic solus, cum sua familia, in contrariam partem se contulit. cui vir sanctissimus, non sine cælesti aliquo mentis instinctu, Quoniam, inquit, belli quam pacis cupidior inveniris, nunquam fiet hodie, ut vivus pedem intro feras in domum. contempsit adolescens sancti viri dicta; sed mox, ex eventu, nec inania nec falsa fuisse comperit, sed verissima atque certissima. nam inde discedens,

cedens, ante quam limen oſtii attingeret, exanimatus ante ædes occubuit.

CXVIII. *Excommunicati cadaver vim olei, ex columnâ manantem, in perpetuum ſuppreſſit.*

MOs eſt Eccleſiæ, jam inde ab Apoſtolorum temporibus ductus, ut certis quibuſdam criminibus evicti, niſi reſipiſcant ac mores emendent, Chriſtianis ſacris interdicantur, templorum aditu prohibeantur, & à fidelium cæterorum communione congreſſuque removeantur. ſed fit interdum, ut quibus ita interdictum eſt, non eos modo, homines congredi, adire, alloqui nolint, verum ipſa etiam terra refugiat, atque impiorum ſceleratorumque numero habeat. nam alios, ſepulturæ mandatos, foras excuſſit, & tanquam è complexu rejecit, alios ad ſe recipere noluit, alios aliis exemplis ſibi quoque inviſos execrandoſque eſſe declaravit. illud vero admiratione ac memoria dignum, quod mox commemorabimus.

Erat, urbis cujuſdam in templo, columna, è marmore facta, unde oleum, ad alendos lychnos qui ibi ardebant, large copioſeque manabat. accidit, ut non procul ab eadem afficeretur ſepultura vir quidam, hoc genere pœnæ ab eccleſia damnatus; ſed, tanquam ſi præciſis fiſtulis alio ejus olei curſus derivatus eſſet, aut penitus, deficiente humore, exaruiſſet; continuo illa vis olei conſtitit, neque amplius aliqua ejus gutta defluxit. ac nemo dubitat, quin eo defecerit, quod execrandum illud cadaver propinquum habuerit, atque ex ejuſdem vicinitate, admirabilis illa columna eam quaſi contagionem attraxerit.

CXIX. *La-*

CXIX. *Labores, quantumvis magni, si pro Christo suscipiantur, leves, contra iidem, quantumvis parvi, si eorum Christus causa non sit, graves videri solent.*

QVod Deus perpessionem malorum, quantumvis gravium ac difficilium, eadem in se transmittendo, leviora nobis efficiat, cum alias sæpe in multis, tum proximis his annis in captivo quodam apparuit, ex optima sanctissimaque religiosorum hominum familia. hic, cum navigaret, captus est à piratis, & Turcæ cuidam in servitutem traditus; cui, quam multa, apud injustum & inclementem illum dominum, aspera & acerba ferenda fuerint, dici verbis non potest; sed fiebat, nescio quo pacto, ut nihil fere laboris molestiæque ab ea sibi calamitate afferri sentiret, sed omnia, quantumvis gravia ac difficilia, levia quodammodo atque jucunda efficerentur. sed cum postea, piorum hominum liberalitate ac misericordia, redemtus, suis fratribus restitutus esset, ac nudis pedibus, ut est mos eorum fratrum, faceret iter, accidit, ut jacens humi spina alterum illi pedem non ita graviter læderet, doloris tamen, quamvis non maximi, impatientia commotus, querebatur, atque ut fit, plura, prope impotenter, efferebat. sed cum postea, sive pudore, sive religione aliqua, nimios illos animi motus repressisset, atque ad se rediisset, cœpit admirari, ac secum ipsemet quærere, cur acerbissimum servitutis jugum animo ita æquo tulisset, in unius vero spinulæ punctione tantopere commoveretur. continuo, tanquam divino aliquo animi motu impulsus, Quid mirum est, ait, si illud mihi jugum leve videretur, quod Christus mecum pariter ferret, hoc autem tam leve malum gravissimum accidat, quod mihi soli ferendum est totum?

CXX. *In rebus adversis, vim maximam, ad sui ipsius notitiam obtinendam, inesse.*

INter cæteras utilitates, quas adversæ res pariunt, ea in primis numeratur, quod, qui cum eisdem confli-ctantur, ad sui notitiam revocentur, & intumescentem, seseqne altius efferentem, animum detumescere, atque ad humum redire compellant. sed fit, ut omnes rebus secundis florere postulent, neque hanc utilitatem putent esse tanti, ut cum adversa fortuna quidquam sibi nego-cii esse contendant; sed postea, ab eadem comprehensi, quidque ea habeat in se utilitatis, experti, gaudent, gratias agunt, magnoque beneficio se esse à Deo affectos fateri coguntur, cum illud ipsis objecerit, unde res omnium utilissima, & in qua fere sunt omnia, hoc est, sui ipsius notitia, percipitur; secus enim, futurum, ut semper, in sui ipsorum ignoratione detenti, fere nihil in vita dignum hominis ederent. quod quidem viri cu-jusdam principis, ex Scotia, aliquot etiam provinci-arum domini, intelligentiam non effugit. hic genere, uxore, liberis, summis præterea opibus ac divitiis præ-ditus, cum ob fidei Catholicæ propugnationem, singu-lare cum quodam certamen iniisset, & graviter ipse in altera manu, & in capite vulneratus, adversarium oc-cidisset, coactus est omnibus rebus amissis, nudus, inops, Romam profugere, supplexque ad Pauli v Pont. Max. pedes accidere; qui Pont. pro paterna sua in omnes ho-mines caritate, complexus est supplicem; ac primum pecunia juvit; tum hospitali cuidam religiosæque domui alendum tradidit, quinis in singulos menses aureis num-mis attributis, quibus privatam nobilis viri vitam tuere-tur. qua in domo, victu, vestitu, ac ceteris rebus mo-dice habitus, duodecim ferme annos exegit, ea vitæ in-tegritate & innocentia, ea animi æquitate atque patien-tia, ut esset omnibus exemplo. &, quod mirum videri debeat, quamvis aliena misericordia sustentaretur, pau-perum tamen non obliviscebatur, sed illorum æque me-minerat; semper enim aliquid sibi, suum defraudans genium, detrahebat, quod illorum inopiæ suppeditaret; neque,

neque, ex summo regalis fere vitæ fastigio in ultimum pene locum deturbatus, ullam unquam vocem emisit, quæ præsentis eum inopiæ pudere vel tædere significaret; immo sæpissime in gratiarum actionem erumpebat. etenim hoc maximum beneficium se Deo debere profitebatur, quod per eam rationem, suam ipsius cognitionem, antea sibi obscuram, tradidisset. qui demum, cum jam nonaginta prope annos explesset, in morbum implicitus, susceptis Ecclesiæ Sacramentis, sanctissime ex hac vita decessit.

CXXI. *Spiritualis vitæ actiones, non ex nostro, sed ex patris spiritualis arbitrio, suscipiendas esse.*

RECte atque sapienter docet Apostolus, non esse cuivis spiritui temere credendum, sed quærendum diligenter investigandumque, unde ortum habeant, utrum à Deo, an aliunde; etenim ab eo, qui se transfigurat in Angelum lucis, eas sæpe cogitationes immitti, quæ, etiam spiritualium rerum peritos, in errorem inducant, plusqnam necesse sit, experti didicimus. Ex iis, qui recti specie decepti, in dæmonis insidias devenerunt, fuit nostra memoria monachus quidam, ex familia S. Bernardi, quæ Romæ cœnobium habet, in thermis Diocletiani; hic, desiderio arctioris vitæ incensus, cœpit, summa vi, à superiore suo contendere, ut se ad Eremitas Camaldulenses transire permitteret; cupere enim se vehementer, ajebat, ab hominum conspectu usuque remotum, per rerum cælestium contemplationem, arctius Deo copulari atque conjungi. vir prudens, ac dæmonis artium non ignarus, hortari eum cœpit, ut ea cogitatione desisteret, quam decipiendi ejusdem gratia dæmon immitteret; posse enim, etiam in media turba, sibi secretum facere, ibique in contemplatione divinarum rerum hærere, si velit. at ille, neque tam bene præcipientis consiliis acquiescere, neque admonitionibus credere, unum instare de missione, veheinenterque contendere; qua demum impetrata, antea quam se penitus in

ſolitudinem abderet, tanquam voti cauſa voluit Lauretanam Ædem inviſere. cum igitur alacris iter illud arripuiſſet, in oppidum venit, mari propinquum, & ad cauponem divertit; & cum jam in eo eſſet, ut cœnam iniret, pedem intro in cauponam tulit oppidanus quidam, ipſi ignotus, qui eum perquam familiariter ſalutavit, rogavitque quid ageret, quoque properaret; ille, nullas ab eo inſidias metuens, nihil reticuit. at vafer ille, cum ſermone blando, ac multa pollicendo, ſe in ejus familiaritatem inſinuaſſet, Poſtquam, inquit, nunc primum ad tuam amicitiam mihi aditus patuit, in ſignum conciliati inter nos amoris gratiæque, invito te, in craſtinum, ad piſcatum; capies enim voluptatem ex numero, varietate ac multitudine piſcium, qui capiuntur; poſtridie, Deo bene juvante, te itineri atque labori recentem atque integrum dederis. ille, homini fidem habens, gratias egit, quoque ipſe vocaret, ſe venturum promiſit. poſtridie, ut erat conſtitutum, ad mare perveniunt, lembum conſcendunt, ex litore ſolvunt; ſed cum lembus longius in altum proveheretur, neque piſcator neque quiſquam cum reti conſpiceretur, cœpit ſuſpicari, ſibi data eſſe verba, atque inſidias parari; neque ab opinione ſua deceptus eſt; nam qui ipſum abduxerat, ſibilum edidit; id enim erat illi ſignum cum prædonibus; ac repente piraticus myoparo remigio ad eos recta contendit; neque auræ, neque venti citius; quo animadverſo, rogabat deceptorem illum monachus, ac multis cum lacrimis exorabat, ut vorſoriam caperet, ac revorſoriam ad terram faceret. ille, quippe cui cum piratis conveniebat, non audire, atque ejus poſtulatum preceſque negligere, immo adverſus eos lembum vehementius impellere. quamobrem piratæ lembum conſequuntur, ſiſtunt, intrant, & monachum pene exanimatum catenis onerant, & Epirum in ſervitutem abducunt; quem poſtea mercatori cuidam vendunt, qui rus hominem abegit & gregi equorum paſtorem cuſtodemque præfecit. paſcebat igitur equos, neque, ubi gentium locorumque eſſet, poterat ſcire; jamque menſium ac dierum rationem oblitus, non quibat dies feſtos à profeſtis internoſcere. verum, die quodam, cum equos, ut conſueverat, paſtum duxiſſet,

ſet, collem inſcendit, unde erat proſpectus in mare; tum vero in ſpem libertatis erectus, cogitare cœpit de fuga; nec mora, poſtridie, rebus aliquot convaſatis, citato equo illuc contendit, & ad mare deſcendit, ac forte onerariam Venetorum navem, præter litus vela facientem, aſpexit; tum ille, plenus ſpei lætitiæque, voce, pallio, ut accederet, ſignificavit. vectores, rati id quod erat, Chriſtianum eſſe aliquem, qui in poteſtatem barbarorum veniſſet, ac vincula rupiſſet, continuo onerariam ad litus impellunt, hominem adeunt, rogant, quis ſit, unde ſit; ubi Chriſtianum eſſe hominem monachumque comperiunt, ac barbaro homini à piratis venditum, navi tollunt, ac Venetias deportant; ubi, piorum aliquot benignitate, veſtitu ac viatico ſublevatus, primum Anconam, tum Romam, perrexit, ac ſatis jam ſatis ſuo exemplo edoctus, quid ſit periculi, ſui ipſius regendi habenas ſibi arrogare, neque eas perito ſuperiori permittere, quem divinæ interpretem voluntatis ſibi delegerit, conſilium illud, ad Eremitas tranſeundi, contempſit, atque in ea familia permanere conſtituit, in quam ab ineunte adoleſcentia, non ſine cæleſti mentis inſtinctu, ſeſe dediſſet. itaque ad cœnobium ſuum ſe contulit, ad ſuperiorem aditum petiit, cujus conveniendi poteſtate facta, eidem ad pedes accidit, & multis cum lacrimis, quidquid ſibi adverſi accidiſſet, aperuit. ille, ut pium decebat patrem, ejuſdem miſeriis illacrimans, juſſit afferri ſtolam primam, eaque illum induit, &, ſicut antea, filiorum numero habuit.

CXXII. *Virginibus, ac Deo ſacris præſertim, periculoſam eſſe, nimis ſcite eleganterque canendi rationem, ſi ea, ſecus quam deceat, utantur.*

SAltandi, recteque canendi, tum voce tum fidibus, artes, quam mulieri ſint inutiles ad pudicitiam tutandam, vel, ut recte quidam dixit, quam magna ſint inſtrumenta luxuriæ, clam eſt, ut arbitror, neminem. quæ artes cum virginibus omnibus ſunt indecoræ, tum maxime iis turpes, qui ſe in aliquam ſacrarum Dei vir-

ginum domum, voti gratia, dicarunt, si in iis se gloriæ & ostentationis magis, quam Dei cultus & honoris causa exerceant; sæpe enim hoc illis fœde atque infeliciter cadit; ut de quadam, nostra hac memoria, narratur. Est Florentiæ cœnobium, ex virginum nobilium flore magna ex parte collectum, quarum aliquæ, musicæ arti studiosius operam dabant, non tam ut ea in rebus divinis uterentur, quam ut, cantiunculis cantitandis, viros ad se venientes oblectarent; quo fiebat, ut magnus quotidie eorum numerus, adolescentium præsertim, sacram illam domum frequentaret. verum ceteris una, & canendi artificio, & vocis suavitate, &, quod refert, formæ elegantia orisque venustate, longo intervallo antecedebat; in hac vehementer exarserat juvenis quidam, nobili genere natus, multis literis, iisque reconditis, præditus, miræ ad poësim indolis; qui multa, tum soluta tum numeris adstricta oratione, præclara in lucem ediderat; sed ingenio malo pravoque; quippe qui multorum erat sibi facinorum conscius, atque olim, se vidente, passus erat domi suæ, à duobus sicariis, per insidias, notum quendam caussidicum precio necari; quin etiam ipse, concubia nocte, interfecti corpus in cloacam urbis quandam deferentibus, cereum illuxerat; quod erat argumento, in partem auri, quod pro capite illius fuerat repensum, eum venisse, inopia fortasse coactum, quod à parentibus relictum, totum ferme libidines dissipassent, atque, conjectus in vincula, una cum aliis duobus, qui innocenti illi mortem intulerant, supplicio fuisset affectus, nisi potentiorum amicorum opera, quibus erat ob ingenium apprime carus, illud evasisset; at quanto amici illi rectius æternæ hominis saluti consuluissent, si à sua ope auxilioque destitutum, passum cum essent, pœnas legibus dare; piis enim eorum sermonibus, qui supplicio afficiendis adsunt, sublevatus, non sine pœnitentia excessisset è vita. nam aliquot post annos, crimine proditionis evictus, dum bidui, nescio quod flumen, navigio trajicit, est interfectus. hic igitur, virginem illam amabat; verum ejus amor intra verba tantum obtutusque continebatur, neque ad rem se se conferebat; qua consuetudine fruebatur, ut cum maxime,

me, tum cum re neceſſaria coactus eſt Romam proficiſci; & quia ægre ab ea divellebatur, tanquam amoris ſui vicarium, amicum intimum, & quaſi alterum ſe, illi reliquerat, ut, cum eo cùm eſſet, ſecum ſe eſſe exiſtimaret, cum eo ſermones cùm ſereret, cum ipſo abſente, ſe loqui arbitraretur. at ille, qui relictus fuerat, plus quam amicus imperaverat, fecit; nam in ea diligenda non amici perſonam, ſed propriam geſſit, non vicariam illius operam, ſed peculiarem mulieri ſuam exhibuit. etenim, & egregia illius forma, & mira vocis cantuſque dulcedine, & liberali conſuetudine, victus eſt adeo, ut mori videretur, qua hora procul ab ea vitam exigeret. itaque in ea convenienda frequens erat; ſermones ad multas horas cum ea producebat, & vix, noctu divelli ab ejus colloquio poterat. quæ res cum ad Epiſcopum aliosque ſuperiores permanaſſet, ſtatuerunt, nihil prius opus facto eſſe, quam malo huic, ne ſerperet longius, occurrere, ac juvenem, quantum poteſt, ab illius cœnobii aditu veſtibuloque repellere. quod factum eſt ſtatim; ſed, num ea interdictione deterritus, poſt hac amari obſecutus eſt minus, aut cœnobio illo abſtinuit magis? immo multo acrius ac vehementius exarſit, & ſecretiore via locoque, à cuſtodibus auro corruptis, ad colloquium admiſſus, totos cum ea dies, & partem etiam noctium conterebat. verum hæc quoque via, ſuperiorum vigilantia, intercluſa eſt, atque obſtructa, & cuſtodes poſiti, ne ille interdiu cœnobii limen intraret. itaque, amore ardens eo proceſſit amentiæ, ut, maximis propoſitis præmiis, per eos egerit, quibus oſtii claves commiſſæ erant, apud quos antea ſe intimum fecerat, quo ſibi noctu fores aperirentur, ac pateret ad virginem aditus. at quod eſt oppidum tam clauſum, tamque munitum, quod non expugnet pecunia? donis, ac dona perpetuando, perfecit, ut quidquid ibi eſſet janitorum, totum haberet in poteſtate, & ab eiſdem, clam omnes, in cellam virginis admitteretur. ſed quia, ut Salvator noſter inquit, *nihil eſt opertum, quod non reveletur, nihil occultum, quod non ſciatur*, quædam ex aliis ſororibus, quibus erat in primis moleſtum, tanto illam apud omnes eſſe in amore & gratia, cœperunt inſidias illi locare,

care, & clanculum animadvertere, quemadmodum dissidium ejus ferret, à cujus, non modo consuetudine, sed etiam congressione prohiberetur; ac nocte quadam, earum uni venit in mentem, cubiculi, ubi ipsa cubabat, ostio aures admovere, ut nosset, num quod, ex amantis desiderio, peteret alte suspirium, vel inclusus in pectore amor, in lacrimas ac voces erumperet; atque duorum, inter se colloquentium, visa est voces audire, & rata id quod erat, esse ibi virum, cujus illa amore capta detinebatur, arripit repente sese subito, ad Abbatissam advolat, altiori sopitam somno magnis clamoribus excitat, ac, Fero, inquit, ad te flagitium ingens, atrox, bonæ illius mulieris, quam nuper tanto labore à viri, cujus erat cupida, consuetudine amicitiaque distraximus, (facinus indignum,) nunc, contra cœnobii leges, contra editionem illi habitam, contra jus fasque, in cubiculo eum suo habet inclusum; veni, & quod à me auribus accipis, tuis ipsa oculis arripe. Abbatissa miratur, quærit, quis fores aperuerit, quis, inter se illos convenas fecerit, currit, per vim fores aperit, intrat, inopinantes opprimit, male verbis accipit; tum vinctos magistratibus civitatis tradit; apud quos etiam agitari res cœpit. quod ubi perlatum est Romam, & ad ejus, qui amicitiam inter illos duos conciliaverat, aures accidit, vehementer commotus, summa ope succurrendum illis esse constituit; ac primum omnia sua studia, omnem operam, curam, industriam in eo locavit, ut Romæ, ubi ipse erat gratiosus, causæ cognitio deferretur; id quod est adeptus; tum vehementius etiam laboravit, ne quid in eos gravius statueretur, hoc est, ne pœna capitis afficerentur; quod etiam impetravit, eoque facilius, quod, quæstione habita, judicibus liquere non potuerat, præter verba, rei quidquam aliud inter ipsos fuisse, & Abbatissa non in lecto cubantes eos, sed sellis seorsim commendatos, inter se colloquentes offenderat. decretum est igitur, ut uterque perpetuis tenebris vinculisque mandaretur, & illa suo in cœnobio, hic in ima aliqua turri concluderetur; sed aliquot post annos, amico illo adnitente, rursus ex illis vinculis ac tenebris in libertatem ac lucem sunt revocati.

CXXIII.

CXXIII. *Adolescens, quodam in horto inclusus, adeo ut nulla exitus ratio esset, D. Virginis ope mirabiliter foras egreditur.*

QVod, in rebus dubiis atque asperis, tutissimum sit nobis perfugium in B. Virgine, multis sæpe in laboribus atque periculis præsens auxilium ejus oblatum ostendit. quam multos catenis & compedibus vinctos, quam multos, custodiis ac munitionibus clausos ac septos, ex vinculis, ex carceribus, ex hostium manibus exemit, & in libertatem eduxit? quam multos insidiis inimicorum expetitos, atque adeo interclusos, ex ipsis faucibus mortis eripuit! sed, proximis diebus, auxilii sui vim declaravit in puero, filio cujusdam, qui templorum januas festa myrto coronandas redimit. is se in hortum contulerat, Velabro proximum, florum legendorum causa, quibus B. Virginis aram in templo Pacis ornaret cumularetque; sed inconsultius ibi moram agentem nox oppressit, & quod gravius est, spes exeundi deseruit; nam & clavis intra seram effracta, & perpetua circundata horto maceria, nullum ad egrediendum exitum dabat. quamobrem timore perterritus, ne cogeretur nocte perfrigida pernoctare sub dio (nullum enim ibi tectum continebatur, quo se reciperet) & simul parentum curâ solicitus, qui, rei totius ignari, ex filii desiderio summam essent solicitudinem accepturi, discruciabatur animi, tantum, ut neque quid ageret, neque quid consilii caperet, certum haberet. sed cum jam terras nox opacasset, neque in humanis auxiliis spei quidquam esset relictum, statuit in ejus Virginis opem confugere, cujus honoris gratia se in eas plagas induisset. non defuit orantis votis ac precibus Virgo; nam continuo, adolescente ipso mirante, &, præ gaudio, ubi esset, nesciente, lignea materiæ scala incumbens apparuit; per quam cum hilaris ac spei plenus ad summam maceriam pervenisset, alia rursus solicitudine oppressus est, cogitans quemadmodum inde descenderet; altior enim erat maceria, quam ut in viam posset se saltu demitte-

mittere. ſed eadem virgo beneficium, dudum à ſe initum, nova re alia ac mira perfecit, atque alias adoleſcenti ſcalas, in alteram maceriæ partem inclinatas, objecit, per quas ille deſcendens, protinus in templum Pacis, ad agendas Virgini gratias, lætus accurrit.

CXXIV. *Summam vitæ ſanctitatem ab eis exigi, qui ſacris initiari deſiderant.*

EA in ſacerdotibus, iiſque, qui ſacris initiari volunt, ſanctitas & integritas vitæ requiritur, quæ (quoad mortali homini fas eſt) proxime ad divinam accedat. *Sancti*, Deus inquit, *eſtote, quia ego ſanctus ſum.* quo fit, ut qui ſecus, quam Dei miniſtros deceat, ad id munus accedunt, ea interdum calamitate feriantur, qua illis omnis ejus honoris capeſſendi obeundique facultas eripiatur.

Pluribus ab hinc annis Bononiæ, in iis, qui in eo gymnaſio rei litterariæ operam navabant, Diaconus erat quidam, cujus vita, multis inquinata flagitiis atque ſceleribus, quovis ſupplicio potius digna erat, quam ſacerdotis honore ac munere. hic die quodam, animi cauſa, in agrum exierat, & ſocii cum eo aliquot, ſclopis ad aucupium inſtructi; quo cum veniſſent, cœperunt ſuos ſinguli ſclopos explodere, ſed ſclopus Diaconi, ignem non concepit; quod ille facti è ſulphurei pulveris inopia ortum exiſtimans, alterum tantum ſuperiorem ad pulverem adjecit; ſed cum ſclopus vim ignis ferre non poſſet, diſruptus eſt, ac plures diſtractus in partes, quarum una alteram illi manum graviter vulneravit, ac duos ab ea digitos abſtulit; ex quo contigit, ut ad animi vicia, quibus abundabat, quibuſque in primis carere debebat, illud quoque corporis vicium accederet, quo à ſacerdotis locupletis miniſterio in perpetuum excluderetur, cujus ampla vectigalia jam animo devoraverat, ut ex iis poſſet, in ſumma nequitia, large luxurioſeque vitam exigere.

CXXV. *Dies*

CXXV. *Dies festos, non in opere faciendo, sed in divinis laudibus, aliisque pietatis operibus, esse traducendos.*

QVod dies festi, Dei & Ecclesiæ præcepto, sacris rebus ac divinis obeundis consecrati, in iis, quæ ad Dei cultum pertinent, exercendis, traducendi sint, non autem in opere faciendo terendi, ut de aliis taceam, aratoris cujusdam exemplo docemur. arabat hic, de quo loquimur, in agro Casertæ proximo, jugera aliquot, ac die D. Andreæ Apostolo sacro atque solemni, totus erat in iis excolendis conserendisque; admonitus est ab oppidanis prætereuntibus, ut opere desisteret; eo enim die D. Andreæ Apostolo natalitia dari, cui eum honorem cultumque oportere tribui, qui esset tanto Apostolo dignus. contempsit ille, &, contumacibus sane verbis, Quid ad me, inquit, D. Andreas cum suis piscibus attinet? hic me agellus, non ille vel alius quispiam Apostolus, alit. non abstulit impune hoc dictum, tam impium tamque superbum. nam semen, ab eo sparsum & occatum, primum quidem è terræ gremio in herbam erupit, tum in stipulam fastigiatum apparuit, postremo ad maturitatem, hoc est ad spicas, pervenit; sed in quibus nihil præter aristas, & inanes quasdam tunicas, piscem olentes, conspiceretur, cum reliquæ ejus agri segetes, spicas, tritici granis, candore & pondere præstantibus refertas, extulissent. quo quidem exemplo, visum est Deo, nos admonere, ne in iis, quæ ad necessarium usum pertinent, nostræ industriæ solicitudinique magnopere confidamus. etenim eum, qui totus in se ipso nititur, neque à divina providentia prorsus dependet, cælesti præsidio nudatum, etiam ab ipsa natura destitui.

CXXVI. *Solum pii cujusdam viri prædium communis aliorum omnium calamitatis expers exiſtit.*

LOnge huic diſſimilis alter extitit, ex caſtello quodam, urbi propinquo, cujus nomen, multa me adhortantur, ut reticeam. hic D. Gregorium Pont. Max. præcipuo quodam honore cultuque proſequebatur, ac die ejuſdem feſto, quotannis ſolemne eidem ſacrum faciendum curabat, in quo ſe, familiam, & prædiolum quoddam ſuum, ejus tutelæ patrocinioque commendabat. ſed contigit, annis ab hinc aliquot, circiter vindemiæ tempus, ut in ejus agri vineas maxima vis grandinis rueret, adeo ut omnem fere ejus anni vindemiam interciperet; quod ibi propter eorum hominum avaritiam ſæpenumero accidit; nam fama eſt, eos aquam vino miſcere, ac miſtum pro mero divendere. accurrit ille, exanimatus metu, ut prædii ſui calamitatem aſpiceret; ſed præter expectationem invenit omnes circa ipſum vineas, grandinis impetu verberatas, ſuum autem prædium prorſus ejus calamitatis expers extitiſſe; neque dubitavit, viri ſanctiſſimi ope, in cujus tutela patrocinioque latebat, vim illam tempeſtatis à ſuo prædio fuiſſe depulſam.

CXXVII. *Franciſcani cujuſdam, valetudinario præpoſiti, anima in cœlum migrare conſpicitur.*

QVidquid laboris ſolicitudiniſque in procurandis ægrotis inſumitur, totum ſibi tribui Chriſtus exiſtimat, idque, poſt hujus vitæ curſum, ampliſſimis præmiis honoribuſque proſequitur. etenim, ſupremi judicii die, præmia ac pœnas, pro cujuſque merito, perſoluturus, iis, qui ejuſmodi pietatis operibus ſtudium ſuum dederint, ſe dicturum affirmat, *Infirmus eram, & viſitaſtis me*, iiſdemque, præ gaudio, admirantibus & rogan-

rogantibus, ecquando ægrotanti ipsi suam præstitissent operam ac pietatem. responsurum, *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.*

Est in oppido Italiæ Fratrum Franciscanorum cœnobium, eidemque sacra ædes adjuncta, D. Honufrio dicata, ubi, per annos complures, F. quidam Ioannes cœnobii ejusdem valetudinario cum summa pietatis diligentiæque laude præfuerat; sed demum ipse quoque in morbum incidit, quo, brevi consumtus, laborum simul vitæque cursum absolvit. ægrotabat, per id tempus, puella non humili loco nata, quæ paulo post etiam interiit; hæc, sublata voce, cœpit ex tempore dicere. Frater Ioannes, Frater Ioannes, quo abis? mane, mane, mox te persequar; ne properes. quod mater admirans, nondum enim aliquid de Ioannis interitu aures ejus acceperant, misit ad cœnobium, qui de illius statu investigarent atque perquirerent; ac reversi renunciarunt, eadem hora eodemque temporis puncto eum expirasse, quo puella in cælum evolantem aspexerat; quæ, non ita multo post, suis illum vestigiis est prosecuta.

CXXVIII. *Insignis quidam blasphemus, in jugulo vulneratus, occiditur.*

CVm mihi semper improbi, semperque flagitiosi, visi sunt ii, qui, nullo Dei timore perterriti, tradunt se libidinibus constringendos, tum ii omnem, non modo improbitatem, verum etiam immanitatem superare videntur, qui, nulla plerunque de causa detestabiles in Deum execrationes & maledicta conjiciunt; quo fit, ut raro ejusmodi hominum genus, etiam hujus vitæ tempore, debitas ipsorum impietati pœnas effugiat; sicuti in eas quidam incurrit, qui, paucis ante annis, Florentiæ in jugulo transverberatus interiit. hic in jaciendis mittendisque diris in Deum execrationibus adeo erat assuefactus, ut, etiam nemine lacessente, lingua ipsa sua in eis sponte laberetur. quapropter ejus mortem, magis ad Dei vindictam, quam ad aliquam adversarii ejusdem vim referendam esse, omnes existimant. etenim ille, qui

qui cum controversiam habebat, erat timidus, ignavus, lingua magis quam manu promptus, præterea ob dicacitatem, vel potius scurrilitatem, qua nullius neque famæ neque dignitati parcebat, in summo suorum civium odio atque contemptu; contra ipse, strenuus, acer, truculentus, & tractationis armorum longe peritus, ac multis carus & acceptus; neque tamen, cum haberet hæc omnia superiora, victor è pugna discessit. rixæ causam dederat blasphemi istius servus, ab ignavo illo atque procaci, male verbis acceptus; qui cum, aucupii causa, cum sclopo in illius fundum esset ingressus, ab eoque deprehensus, jussus erat domino suo renunciare, ut si deinceps passus esset, quemquam servorum suorum eum in agrum pedem inferre, continuo se tum servum, tum dominum, usque ad necem verberaturum. quod ubi violentus ille rescivit, non tulit, & graviter exarsit, deditque operam, ut quam primum hominem inveniret; repertumque in foro, ita acriter, stricto in eum gladio, invasit, ut debilitatum metu, ac popularium fidem nequidquam implorantem, (nemo enim erat, ut dixi, qui non eum extinctum cuperet,) recedere, seque post columnam occultare coëgerit. sed dum, amenti similis, dirasque in Deum blasphemias evomens, eundem acrius insectatur, in pugionem, quem ille quoquomodo se tuendi causa sublatum gestabat, jugulum induit, ac tantum inde sanguinis effudit, ut statim sit mortuus. neque quisquam dubitat, quin divino consilio in ea potissimum corporis parte vulneratus sit, unde diræ illæ in Deum execrationes prodibant; sicut nemo dubitat, quin cædis illius eventus referendus sit ad divinam justitiam, non ad aliquam adversarii virtutem; nam ille, cum feriebat, exanimatus metu, prorsus ubi esset ignorabat; immo ab animi atque corporis viribus destitutus, ægre per manus delatus est in proximum ibi templum, ibique aceto aliisque fomentis animus, qui eum liquerat, ad vitæ munera revocatus. Hæc à viro optimo mihique amicissimo, Hieronymo Vbertino, patritio Florentino, accepi.

CXXIX.

CXXIX. *Mulier vidua à Deo impetrat, ut pallii, quod concinnaverat, vitium ignoretur.*

MVlier paupercula, Olympia nomine, olim notissimo Romæ sarcinatori nupta, non sine lacrimis sæpe commemorat, quod cum vir suus decessisset, nec sibi quidquam præter quatuor liberos reliquisset, sua eos industria, parce ac duriter, una secum alebat. sed quamquam dies noctesque operæ ac labori non parceret, eo interdum inopiæ redigebatur, ut, cum panis deficeret, neque esset unde emeret, caulium aliorumque olerum thyrsis, suam liberorumque famem sustentaret. at cum sarcinator quidam preciosum ipsi pallium, patricii cujusdam, consuendum detulisset, accidit, ut operi intenta, alterum ejus caput, in ardentes prunas demitteret, quas, depellendi frigoris causa, ante pedes sibi subjecerat; quod statim ignem comprehendit, latumque sphæricæ formæ foràmen contraxit; quod ubi illa animadvertit, quantam vim lacrimarum dederit, quam multas, quantoque animi ardore incensas, Deo ejusque genitrici preces effuderit, quid me attinet dicere? res est ejusmodi, ut satis verbis explicari non possit. nam si, quidquid domi ipsi erat, vendidisset, vix damnum, quod dederat, redemisset. ad hæc, nulla ejus saltem sarciendi spes reliqua erat; nam materies unde illud pallium constabat, Luca advecta, in vestiariis urbis tabernis non reperiebatur. interim sarcinator adest, pallium poscit, accipit, explicat, aspicit, tacet, subsutum sericum induit, in eodem silentio manet; tum domino illud reddit, qui itidem explicat, inspicit, laudat, ac manu precium exolvit. mulier, ubi videt, neminem queri, animum recipit, atque ingentes Deo gratias agit, qui illorum oculos avocasset, ne vitium, sua culpa contractum, animadverterent.

CXXX. *Maledica mulier, ejecta lingua, moritur, & sepelitur.*

ERat Gallesii mulier adeo infreni lingua atque mordaci, ut nulla esset illi voluptas major, quam aliorum existimationem mordicus carpere, idque vel plurimum, nullis impulsa inimicitiis, nullis lacessita injuriis, nullis præmiis adducta, sed, naturali tantum inclinatione, ad id incitata rapiebatur; neque ullis amicorum admonitionibus, vel superiorum objurgationibus, à prava illa consuetudine revocari potuerat; sed demum, lethalem in morbum conjecta, fuit popularibus suis exemplo, ne temere in aliorum existimationem invaderent. nam statim usum vocis amisit; videlicet, ut mea fert opinio, ne ea lingua, quæ aliorum famæ non pepercisset, per confessionem peccatorum, Deum sibi parcere cogeret; neque ita multo post, una cum anima, linguam foras ejecit. itaque ejecta lingua, ita ut erat, elata, mordacitatis suæ obvios admonebat, qui etiam, meritam maledicæ illi gratiam à Deo relatam esse, affirmabant.

CXXXI. *Mulio quidam, à dæmone, cui se dederat, rapitur.*

ANus, prope decrepita, narrabat, olim patri suo insignem sub onere mulum interiisse, at illum, sive doloris impatientia, sive quod nihil Deum vereretur atque metueret, (nam plerunque huic generi hominum, qui jumentis agendis vitam agunt, nihil fere hominis est, præter figuram ac speciem,) magna voce dæmonem arcessisse, ut se arriperet, atque una secum abstraheret; tum dæmonem forma horribili præsto fuisse, abreptumque hominem medium, ipsa inspectante, & clamores maximos edente, foras per fenestram abduxisse; ad ejus clamores, concursus vicinorum factos esse, atque, re cognita, ab eorum uno in tutelam receptam, nam tum erat quinquennis, ac filiæ loco habitam; postremo, suo tempore, honesto cuidam viro in matrimonium collocatam.

CXXXII.

CXXXII. *Declamator quidam, falsæ suspicionis causa, occiditur.*

Vitam hominis mortalem ac miseram, innumeris, ut B. Iob inquit, refertam esse calamitatibus atque miseriis, perspicuum est adeo, ut orationis luce non egeat. etenim, nisi quolibet temporis puncto à divina ope tanquam vallo muniamur, à pluribus nos animi corporisque malis sit invadi necesse. quis crederet, honestas ac laudabiles cujuspiam actiones posse ab altero in suam contumeliam ac dedecus rapi, eique, qui ob eas dignus erat honore ac præmio, damnum & interitum parere? at istuc etiam Anconæ, anno MDCXXXV, usu venisse comperimus. est ibi, quemadmodum etiam Romæ, & in aliis illustribus ac celeberrimis Italiæ locis, eruditorum quorundam hominum conventus, quem Academiam vocant, ubi præclara illa ingenia, ad poësin atque ad alia ejusmodi humanarum artium studia, sese exercent. declamaverat ibi adolescens, in primis nobilis; thesis fuerat, an filius improbus, atque damnosus, jure à patre exheredetur; cumque à propriis personis atque temporibus controversiam, more rhetorum, avocasset; defenderat, qui esset ejusmodi, bonis illum patriis, recte multari. adfuit ibi forte, vel id ab aliis, qui adfuissent, audivit, adolescens item nobilis, quem parens, ob flagitia, exheredem bonorum suorum fecerat; qui totam illam controversiam ex sua causa ortam existimans, graviter exarsit, ac declamatorem illum ex improviso adortus, per frontem stylo transfixit, ac mortuum ad terram abjecit. quamobrem cum possit etiam ex recte factis in damnum vel malum incurri, cui non sit perspicuum, nisi Deus adsit, neminem satis esse paratum ad cavendum, ex Davidis sententia, qui, nisi, inquit, Dominus custodierit civitatem, inanes ac supervacuas eorum vigilias esse, qui in præsidio, ad defendendam urbem, sunt collocati.

CXXXIII.

CXXXIII. *Celebris quidam mimus, ex scurrili dicto, ab adolescente, qui se eo dicto laceratum existimabat, per dorsum in scena transfigitur.*

QVod satius sit, non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem, ut inquit Petrus Apostolus, retrorsum converti, ostendunt exempla, in eos edita, qui de tenebris vocati in admirabile lumen gratiæ, rursus ad opera tenebrarum revolvuntur ac recidunt. sed illud in primis formidabile mihi videtur, quod anni MDCXXXIV mense Ianuario, famoso cuidam mimo contigisse narratur. hic, de sæculo translatus à Deo in celebrem religiosamque familiam, hoc est in sortem ac societatem sanctorum, primum turpiter ab ea defecerat; tum captus amore infamis cujusdam mimæ, matrimonii eidem vinculo se devinxerat; postremo, turpitudini turpitudinem addens, dederat operam, ut in eum gregem admitteretur, in quo ipsa numerabatur. cœpit igitur in scenam prodire, ac doctoris stulti ac scioli partes agere; qui, ut erat ingenio ad eam rem apto, ac liberalibus disciplinis exculto, non minimam laudem merebatur; si laus ea est appellanda, quæ turpi atque inhonesta ratione colligitur. verum cum, die quodam, Florentiæ, ut diximus, in scenam productus, doctoris partes egregie tueretur, dictum, sane facetum, sed mordax emisit, quod visum est, adolescentem nobilem in primis carpere; neque aliter ille cum adesset, quam sibi dictum accepit. quapropter elatus iracundia, de inferenda homini nece cogitavit; sed interim dolorem suum dissimulans, tacite se post scenam intulit, eductoque gladio infelicem illum per dorsum transjecit; quo ex vulnere, ante spectatorum oculos, mortuus concidit, desertæque vocationis pœnas Deo dependit.

CXXXIV. *Veru, laqueari suspensum, decidens, cauponi jugulum trajicit.*

QVod genus hominum, quibusque præditum moribus sit, improba cauponum natio, editæ in eos leges & Principum edicta declarant, quibus eorum libido avaritiaque compescitur. sed ex ceteris vitiis, quibus abundant, principem locum obtinet fraus, perjurium, & linguæ procacitas, quæ interdum etiam ad execrabiles in Deum blasphemias precesque prolabitur; quo fit ut sæpe ab ipso Deo, vel miserabili morbo, vel morte, vel aliqua alia insigni calamitate, feriantur. quæ cum ita sint, horribile est illud, quod anno MDCI meis ipsemet oculis vidi.

Erat eo tempore Romę vetus ac celebris caupona, quæ quoniam signi gratia, pictum in scuto solem præferebat, Solis nomine vocabatur; & quia magni popinonum ad eam concursus fiebant, caupo semper plures ad culinæ munia conductos habebat; quorum unus, ceteris fortasse deterior, cum, die quodam, bene mane surrexisset, ut obsonia curaret, & ad ignem apponeret, lignea in sella consedit, colloque reflexo, sopori se tradidit. horrendum dictu, veru, quod una cum aliis multis è laqueari pendebat, sponte divulsum, ac recta decidens, jugulum eidem trajecit, ac misere vitam ademit. id, quemadmodum dixi, licuit mihi oculis accipere, quod habitabam ibi viciniæ.

CXXXV. *Magnam in se vim mali sæpe eos attrahere, qui aliis libidinis materiam objiciunt.*

QVi re, opera, auctoritate, consilio, alios ad peccandum inducunt, celerem sæpe ipsi mortem incurrunt. quod merito illis evenisse existimatur. nam qui animabus necem inferre conantur, præter æterna supplicia, non alia magis quam mortis pœna digni videntur. atque, ut veteribus exemplis supersedeam, an-

 no

no MDXCI quidam, cæteroqui vir prudens ac probus, quique liberos, quos susceperat, quam optimos esse cupiebat, in hanc fraudem incidit. erat huic cum viro quodam principe vetus consuetudo atque necessitas; cujus etiam negocia, quæ erant maxima atque gravissima, procurabat. accidit, ut ejus frater, summa spe præditus adolescens, Romam veniret; itaque dat ille statim amico cuidam suo negocium, ut domum, familiam, rhedam, atque alia, ad domesticum usum necessaria, inveniat; præterea imperat, ut noctu scortum illi quoddam adducat, quod tum erat imprimis potens, magnificum, sumptuosum, ac nobile. quæ res mihi, admodum adolescenti, visa est non satis decora, id ætatis homine, ejusque virtutibus; ac mirabar, ea illum adolescenti facinora objicere, unde eum potius avocare debuerat. sed voluit nimirum comis & urbanus videri. etenim meritricum domos celebrare, sumptum facere, alea ludere, scortum ducere, comitas habetur; neque ejusmodi res minus in permissis rebus atque concessis numerantur, quam esse ac bibere; tanquam si non modo oporteat, verum etiam necesse sit, adolescentem parere voluptatibus, & dare aliquod tempus ad ludum ætatis. sed cito pœnas dedit. nam fere in diebus paucis, quibus hæc acta sunt, in febrim incidit; quæ primo visa est levissima, neque aliquem metum ostendere, sed statim ita periculose ægrotare cœpit, ut medici diffiderent, dieque septimo, cum maximo familiæ suæ damno, mortem obierit. atqui mirum erat omnibus, optima valetudine hominem, firmissimo corporis habitu, in victu & in cæteris rebus temperantissimum, tam cito fuisse sublatum. sed mihi, qui eram conscius, quanto ille scelere se obligasset, nullam, ejus celeritas mortis, admirationem incussit.

CXXXVI. *Miseros, non esse illudendos; posse enim eundem casum, atque etiam graviorem, ad nos recidere.*

SVnt quidam ingenio adeo malo, adeo immani, adeo truci, ut rebus aliorum adversis delectentur & gau-

& gaudeant. videlicet, si quem uspiam gravi aliquo ictu ad terram dari, aut vulnerari, aut in re familiari, aut in existimatione damnum vel labem cernunt excipere; continuo illam ejus calamitatem irrisione dignam existimant. sed derisores ejusmodi raro crudelitatis suæ pœnas effugiunt. nam ipsi plerumque longe majori infortunio mactantur, quam illud fuerat, quod in altero illuserant irriserantque.

Superioribus annis, juvenis quidam, una cum sociis aliquot, rheda vehebatur; cumque, re quadam necessaria coactus, vellet descendere, à rhedario impetrare non potuit, ut rhedam sisteret; quamobrem saltu se in terram ejecit; sed homo, non aptissimus ad saltandum, non potuit casum & prolapsionem effugere; quem ubi unus ex sociis humi jacentem aspexit, continuo eos cachinnos extulit, eam lætantis exultantisque animi significationem præbuit, ut si lepidos aliquos ludos aspexisset; neque illo die aliquis ab eo ridendi jocandique finis est factus. verum cum, paucis ab eo die mensibus interjectis, idem met ille derisor vellet rheda pedem efferre, à suis ipsius vestibus impeditus & supplantatus, afflictus est humi, casu adeo gravi periculosoque, ut brachium fregerit; atque haud scio, an ille æquo animo sustinuisset, ita casum suum irrideri, ut ipse alienum illuserat.

CXXXVII. *Vindicandæ injuriæ partes non esse à nobis usurpandas, sed totas in Deum rejiciendas.*

SVmma divinaque ratione à Deo præcipitur, ne damno vel contumelia affecti, vel injuria lacessiti, odia inimicitiasque suscipiamus, & acceptas injurias persequamur. solus enim has sibi partes Deus vindicat, ad quem omnis, tum judicandi, tum pœnas ac præmia constituendi, potestas redit: ille se injuriarum nostrarum ultorem fore profitetur. Verùm vindictæ mora atque dilatio efficit, ut hanc nobis provinciam arrogemus. etenim (quæ nostra est elatio animi atque superbia) statim eorum supplicio cupimus oculos pascere, quorum

in nos cupiditatem atque perfidiam sumus experti. sed Deus, qui est patiens redditor, præsentis fraudis pœnam in diem reservat, sed pœnæ dilationem, supplicii magnitudine gravitateque compensat. Ego, tanquam me, novi, quem improbi ac nequam homines duo perpetuo exercebant, quorum unus omnibus eum injuriis & contumeliis insectabatur, alter iniquissimis litibus divexabat: verum eos ille adeo non oderat, adeo de referenda hominibus improbissimis gratia non cogitabat, ut etiam quotidie pro illis Deum deprecaretur, & insectationes illas atque injurias, non ad illorum hominum improbitatem, sed ad justam Dei in ipsum iram, referebat, & iniquissimis illis tanquam Dei ministris, prope dixerim, honorem habebat. at brevi improbi homines patientissimo illi satis pœnarum, & plusquam satis, dederunt. etenim eorum uterque intra biennium est mortuus, atque eo mortis genere, quo nullum est Christiano homini detestabilius. nam cum multis essent flagitiis cooperti, neque, ut credibile est, toto vitæ suæ tempore, Dei vel suæ ipsorum salutis meminissent, vix colligendi sui, vel peccata deflendi exiguum nacti sunt spacium; cum uni, ferme ab initio morbi, mens prope abierit, neque amplius redierit; quem morbum ex intemperantia contraxerat; alter vero, pro recentibus facinoribus judicium metuens, cum se quotidie à lictoribus inquirentibus fuga subtraheret, subita propemodum morte decesserit.

CXXXVIII. *Recte sapienterque facere eos, qui aliquem sibi Sanctum advocatum adoptant.*

QVi, adversus vitæ hujus pericula, aliquem sibi tutelarem Divum adoptat, in cujus præsidio, post Deum, tutissime lateat, minime hic decipietur, sed pietatis suæ fructum, cum usus venerit, feret. multi enim multa sæpe mala evadunt, unde sine aliquo cælesti præsidio se nunquam fuisse evasuros, fateri coguntur. Ego, jam ferme ab adolescentia, B. Antonio Abbati me meam-

meamque domum in tutelam dicavi, eundemque certis quotidie precibus deprecatus sum, ut me, meaque omnia, præsertim ab incendiis vindicaret; neque spe atque opinione mea deceptus sum. nam superioribus annis, cum domi meæ B. Virgini aram ex ligno excitassem, ac duo insuper candelabra, item lignea, satis grandia atque pervetera, collocassem, accidit, ut nocte quadam cubitum iens, oblitus sim cereos, qui in eis ardebant, extinguere; sed cum mane surrexissem, neque cereos aspicerem, ad candelabra propius accessi, ac vix demum intellexi, cereos exarsisse, neque fere quidquam candelabris nocuisse; tantum, quo in loco flamma desierat, vix tenue quoddam concepti, sed statim sedati ignis vestigium apparebat; quod miraculo proximum, D. Antonii tutelaris mei opera auxilioque factum non dubito. nam cum, nostra memoria, ex tenui pusillaque flamma, &, quod mirabilius videatur, ex parva sæpe favilia, ædium maximarum incendia prodierint; quis non fateatur, divinitus factum, ne duplex flamma, ex duobus, digiti pollicis crassitudine, cereis veniens, primum candelabra, tum aram comprehenderet, deinde per tabulam pictam, aræ conjunctam, sursum properans laquear arriperet, ac totam domum in cinerem verteret? quamobrem servatæ ab incendiis domus, meritas Deo, ac B. Antonio, tutelari meo, gratias habeo atque ago.

CXXXIX. *Quidam vinctus, D. Famiani ope, tetro è carcere horribilique, divinitus educitur.*

ET quoniam de patrocinio Sanctorum mentio injecta est, de altero referam, eadem ratione divinitus ex summis vitæ periculis, atque adeo ex ipsis mortis faucibus, erepto. Apud Galesinos, privatim & publice, mira est religio D. Famiani Eremitæ; quem ajunt, ex Polonia usque profectum, venisse Galesium, ibique diem obiisse supremum, sed multa statim prodigia ejusdem in cælum recepti felicitatem declarasse. quod is autem oppidum illud præcipuo quodam amore patrocinioque

complexus ſit, multis ſæpe difficillimis in rebus præſens ejus auxilium oblatum oſtendit. itaque à Galeſinis, ſacris anniverſariis, colitur, ejuſque ſepulcrum, magna omnium frequentia, celebratur. ſed in iis, quorum votis ac precibus occurrit, lictor quidam numeratur, qui, quoniam conjectus in carcerem, vincula ruperat, ex fuga retractus, detruſus eſt in puteum, in mirandam altitudinem depreſſum, ibique catenis & compedibus vinctus, multos menſes, omnium rerum inopia, maceratus. etenim vix, ac ne vix quidem, tantum panis & aquæ miſero præbebatur, quod eſſet ad tuendam vitam ſatis; adeo ut interdum, ad levandam ſitim, ſit coactus urinam ſuam ebibere. tot igitur ærumnis, per plures menſes, ut diximus, vexatus, & attritis veſtibus nudus, atque inedia confectus, pro certo creditur D. Famiani ope, cui ille ſe commendaverat, tantarum miſeriarum effugium inveniſſe. nam cum, die quodam, cuſtos ad eum carceris veniſſet, & in puteum deſpexiſſet, neminem vidit; atque admiratione vehementer elatus, cœpit diligenter inveſtigare, qua nam ratione illinc vinctus ille emerſiſſet; nec, cum omnia perſcrutatus eſſet, reperire potuit, unde exiſſet, cum volentibus egredi multis eſſet opus ſcalis, multique præterea eſſent peſſuli removendi. illud vero admirationem auxit, quod in ſacello, D. Famiano ſacro, repertæ ſunt catenæ, compedes & manicæ, in quibus ille fuerat; neque ſuſpicari quiſquam potuit, à quo ea illuc fuiſſent illata, cum ſacellum illud egregie ſit undique ſeptum ac munitum, neque aliam habeat feneſtram niſi clathratam, clathris autem ita anguſtis inter ſe ſpaciis, connexis colligatiſque, vix ut per eadem ſpacia catenarum annuli, ne dum annexæ catenis manicæ, compedes, & collaria, trajici poſſint.

CXL. *Dæmon adolescenti, à quo thesauri reperiendi causa fuerat evocatus, celerem adventu suo interitum parit.*

IMproba atque insatiabilis avaritiæ sitis ita plerosque mortalium occupat, ac miris modis excruciat, ut eos interdum in maximas ac sceleratas fraudes impellat. sed ex iis, qui laborant hoc morbo, vanissimum est eorum hominum genus, qui in defodiendis reperiendisque thesauris operam locant suam, neque aliud quidquam loquuntur & cogitant. atque eum sæpe in locum quorundam insania progreditur, ut sperent, carminibus atque cantionibus se posse dæmones, ad eos sibi thesauros demonstrandos, adigere, ad quorum illi custodiam excubare dicuntur. quo fit, ut non parum sæpe dæmonum dolis illusi atque decepti, præter irrisionem, damnum etiam ac mortem incurrant. Sed in iis, qui in ejusmodi dæmonis fraudibus hæserunt, numeratur adolescens, non humili obscuroque loco natus, quem à me nominari non est necesse. hic vel audierat, vel sibi persuaserat, in ædibus, ubi habitabat, quæ sunt Romæ ad forum seu carcerem Sabellum, magnam vim auri & argenti esse defossam; sed quia locum ignorabat, precibus & cantionibus dæmonem ab inferis evocabat, qui signa & notas ostenderet locorum, quibus cognitis, sibi ipse defoderet, & thesaurum, quem peteret, nullo errore inveniret. sed tandem, vocatus, affuit dæmon. etenim nocte quadam intempesta, cum vigilans in lecto jaceret, & fortasse in ea cogitatione totus versaretur, sensit, pulsari ostium cubiculi, & continuo, Ecquis, ait, ostium id pulsat? cui ille, Diabolus sum, inquit, quem tantopere conventum expetis; aperi, ac sequere me. adolescens, diaboli nomine audito, primo vehementer exhorruit; tum, spe lucri erectus, confirmavit se se, abreptaque machæra, ac D. Virginis Lauretanæ imagine, quam habebat, eademque sibi apposita, ita ut in collo penderet, cubiculi ostium aperuit, & horribili facie umbram aspexit; quam præeuntem prosecutus est

in cellam vinariam, ubi ingentes divitiæ expofitæ cernebantur, auri & argenti magna vis, incredibilis gemmarum numerus, unionum aliarumque rerum preciofiffimarum acervi; quorum adeo nihil eft aufus attingere, ut etiam fummo incredibilique horrore perfufus, in cubiculum fe receperit, & in lecto collocarit; unde non furrexit amplius, fed tertio die eft formidine metuque confumptus. Hæc à Io. Andrea Curto Novocomenfis diœcefis accepi, qui propter vicinitatem potuit fcire, (habebat enim ædes illius ædibus adjunctas.) atque eadem memini, recenti re, multorum fermonibus celebrari.

CXLI. *Mulier, iniquiſſimo animo moriens, à dæmone, cui ſe dediderat, palam abripitur.*

SVnt quidam, qui æquam moriendi conditionem, omnibus propofitam, animo adeo iniquo patiuntur, ut lethali aliquo morbo impliciti, fi audiant, fibi effe pereundum, præ animi ægritudine, ad ineptias, vel potius ad infanias delabantur; ac, fi daretur optio, multo mallent bonis cæleftibus in perpetuum carere, quam femel vitæ commodis privari. quod fignum eft animi, vel nimium terrenis rebus addicti, vel prorfus increduli. nam videntur non affentiri iis, quæ de æterna felicitate, vel de mortuis in vitam revocandis, catholicæ fidei veritate traduntur.

Narravit, domi meæ, unus ex Patribus miniftris infirmorum, Spoleti, mulierem nobilem, adolefcentem, præterea divitiis ac forma præftantem, ex mortifero morbo in fummum vitæ difcrimen adductam, Deum enixe rogaffe, ut fibi parceret, neque in ipfo ætatis flore vitam adimeret; fed cum morbus augefceret, atque ipfamet, deficientibus viribus, ad ultima ventum effe fentiret, more gigantum, cœpit bellare cum Deo, atque ad eum converfa, Quandoquidem, inquit, tam immature mihi vitam eripis, ego quoque meam tibi animam adimo, ac dæmoni, una cum corpore, trado; quibus dictis, præfto fuiffe dæmonem, libentique animo

mo oblatum sibi munus excepisse, & cum eo suam in domum, hoc est ad inferos, revertisse.

CXLII. *Puer pecuniam, ad sacra pro mortuis facienda collatam, furtim avertens, novercæ in somnis indicatur.*

NE cuivis somnio temere à nobis fides habeatur, facile somniorum ipsorum vanitas levitasque convincit. verum aliqua sæpe nobis per quietem ostendi, quibus pondus aliquod insit, neque continuo eisdem fidem abrogemus, sacrarum litterarum testimonio docemur; unde licet multa colligere, non tam somnia, quam oracula, quibus divinitus alii monebantur, ut periculum aliquod instans declinarent, aliis honor & claritas, ad quam evehendi essent, simulacris ac similitudinibus, ad eam rem aptis, significabatur, aliis, quæ tum ipsis tum aliis eventura essent, multo ante denunciabantur. Atqui non est dubitandum, quin ad id somniorum genus referendum sit illud, quod, amplius sunt viginti anni, mulieri cuidam viduæ objectum est Romæ. Erat huic mater, quæ octavo quoque die plura piacularia sacra, pro expiatione animarum, quæ purgatorio igne detinentur, facienda curabat, atque eleemosynam privigno ejus viduæ, filiæ suæ, ut diximus, sacerdotibus deferendam tradebat; qui nunquam totam persolvebat, sed semper partem ejus aliquam avertebat; neque id unquam mulieri subolere potuerat. verum vidua illa visa est videre atque audire in somnis, qui diceret, privignum suum eleemosynam, ad sacra facienda tributam, defraudare, proinde matrem admoneret, ut alium fideliorem eligeret. quod somnium, cum filia matri suæ narrasset, illa primo contemsit; post venit illi in mentem, filiæ somnio aures dare; nec rem illam inquisitam dimittere. itaque æditųum ejus ecclesiæ adit, percontatur ex eo, quot à puero illo Iulios octavo quoque die ad sacra facienda perciperet. ille sumit codicem, in quem eleemosynarum ratio referebatur, inspicit, ac puerum invenit, ex singulis eleemosynis singulos minimum Iu-

lios solere detrahere sibique habere. qua re comperit, filiæ somnium à veritate non discrepare, sed cum ea mire congruere; atque in eam opinionem adducta est, ut pro certo existimaret, Dei permissu, aliquam earum animarum, quarum, ea sacra fieri, plurimum intererat, secundum quietem, filiæ indicasse, fraudari eam pecuniam, quæ esset ad ipsarum expiationem attributa.

CXLIII. *Laurentio Ratto, musico, consuetudo recitandi mortuorum officium, admirabili quodam ostento, commendatur.*

QVam magnos atque uberes pietatis suæ fructus ferant, qui funera defunctorum, vel sacra pro eis facienda, procurant, exemplis aliquot supra docuimus; nunc Laurentii Ratti, musici, hujus ævi, præstantissimi exemplo, idem demonstrabimus; cui, re nova atque admirabili, Deus ostendit, hoc pietatis officium esse sibi longe gratissimum. sed non alienum videtur à proposito, pauca de Laurentio, ejusque moribus, antea proponere. hic, puer nondum septuennis, à Vincentio Vgolino avunculo, musico item eximio, pene è complexu parentum evulsus, perductus est Romam, & musicam edoctus; in cujus disciplina sanctissime educatus, tam diu permansit, quo ad ex ephebis excessit; nam postea sex deinceps præcipuarum urbis ecclesiarum extitit musicæ moderator & magister. quo munere, cum egregie omnibus in locis, tum illud diligentius & exquisitius in Collegio Germanico, administravit; nam, & diligentia, & nova atque admirabili modulandi ratione, omnium in se animos & studia convertit. tum inde, post longum tempus, in Ædem Lauretanam in Antonii Cifræ demortui locum translatus, paulo post, tanquam in complexu B. Virginis mortuus, triste omnibus sui desiderium reliquit. de ingenio autem hominis, quid me attinet dicere? quid illa ejus in faciendis modis celeritas, lepor, venustas memoretur? plures ille Missas, vesperas, psalmos, & cantiones sacras modulatus est, quam alii cecinerint; plus ille, unica sæpe nocte, ex se operæ dedit,

dedit, quam multi integris mensibus fecerint; nam, detractis paucis illis horis, quas naturæ necessitati tradebat, integram Missam, tribus etiam choris concinendam modulabatur, &c, quod prope omnem fidem excedit, graphice eleganterque describebat. Sed, ut eo revertamur, unde discessimus; anno Domini MDCIV, mense Septembri, cum, annos natus quatuordecim, etiam tum esset in contubernio Vincentii avunculi, ut diximus, pridie diei natalis Deiparæ Virginis, summo mane, missus est ad furnarium, ut panes afferret in prandium; exeunti ab æde sacra ejusdem Virginis, quam vocant in montibus, quo orandi causa introierat, fit obviam forma egregia juvenis, qui, Tibi Laurenti, inquit, omissis cæteris curis, properandum est mecum, ultra pontem Milvium, defuncti cujusdam sepeliendi gratia. at Laurentius modeste excusavit avunculi imperium, à quo mittebatur ad furnum. at ille non accepit excusationem, sed, Veni, inquit, novi enim pietatem tuam & studium in B. Virginem, quæ colitur in monte Carmelo. puer, audito B. Virginis nomine, spopondit illi operam suam, cum hac tamen condicione, si veniam ab avunculo impetrasset. nugas agis, inquit adolescens, id nunquam ab eo impetratum referes. jam tibi, puer ait, morem geram, sed, libera mea opera ut sit? curriculo domum abibo, ibique tesseram hanc, quam gero, deponam. ut lubet, inquit odolescens, ego te hic manebo. it puer, domum venit; vestimenta, quibus tegebatur, exuit, trita atque obsoleta alia induit, cæterarumque rerum oblitus, ac vix sui compos, cum acu & filo culcitam sumit, seque ad adolescentem celeriter recipit. eunt igitur taciti una in via, atque semiquadrantis horæ curriculo, trium fere millium iter emensi, arundinetum intrant, miliarii unius intervallo à ponte Milvio disjunctum; ubi mulieres aliquot eximia pulchritudine, & ætate integra, ignoti cujusdam cadaver, in loculo positum, circumstabant; quarum domina atque magistra videbatur esse una, forma ita eleganti, ita venusta, ut nihil supra; quæ libellum Officii B. Virginis à puero sibi dari poposcit, acceptumque tradidit adolescenti, qui fuerat dux & comes itineris, eumque recitare jussit illa

Iobi

Iobi capita, in Officio defunctorum apposita, *Parce mihi Domine.* at mulieres una cum puero, responsoria, singulis capitibus adjecta, funebri cantu, prosequebantur. quibus expletis, quæ mulier erat ceteris venustior, ut diximus, subsequentibus & adjuvantibus cæteris, cœpit precationem illam funebrem præcinere, *Subvenite Sancti Dei*, atque eadem opera scrobem effodere, in qua mortuum collocarunt, humoque texerunt.. quo facto, mulier, ad puerum conversa, Contine te, inquit, in hac tam laudabili consuetudine recitandi mortuorum officium; erit enim, si usus veniat, ut tu eisdem suffragiis adjuveris, quibus iste à nobis sublevatur. his dictis, evolarunt omnes ab oculis, nec quisquam visus est amplius; immo ne foveæ quidem, quam foderant, vestigium ullum apparuit. Laurentius, pene alienata mente, aliquandiu cum tortuosis arundineti illius semitis, vel potius labyrinthæis flexibus luctatus, demum in viam publicam exiit, & aliquanto post, Tiberis ripas & Milvium pontem agnovit. sed dum ex culcita, quam, ad arcendos solis calores, secum attulerat, umbraculum texit, venere illi in mentem ea omnia, quæ ab avunculo in mandatis habuerat, cœpitque se ocyus movere. jam pontem transierat, cum bufalos, ad quinque & viginti numero, ad se recta venientes adspexit; quos bubulci duo, fœda & horribili facie vultuque, fustibus in ipsum incitabant. quare ille plane vehementer exterritus, ad vota confugit, vovitque, si D. Francisci Assisinatis ope, functus illo periculo esset, cinctorio suæ Religionis fune, se, quoad viveret, præcinctum iturum. rem miram, votis nuncupatis, bufali illi, qui sæviter afflantes naribus, parati erant, in eum impetum facere, continuo iter ad lævam arripuerunt, ac celeri in Tiberim cursu se se dederunt. at ille, progressus paululum, respexit, ac neque bufalos, neque bubulcos uspiam vidit. itaque solutus metu, cœpit ociosus iter domum habere; ubi invenit omnia, ex ejus abitu, plena mœroris atque tumultus; præterea avunculum, citato equo, ex Vrbe exisse, ut ipsum abeuntem prosequeretur, &, inventum, ex fuga retraheret. sed continuo, ejus aspectu, mutata sunt omnia, &
metui

metui securitas, ac mœrori successit hilaritas. Hæc ego, tum à Vincentio avunculo novi, qui, recenti re, de puero millies audivit, tum ex pueri ipsius epistola, suo chirographo ad patrem scripta, ubi diserte rem totam, sicuti gesta erat, enarrat. Addit Vincentius, puerum esse oblitum in ea scribere id, quod Fratri Marco Vgolino, alteri avunculo, multis audientibus, dixerat; videlicet, proxima superiore ejus diei nocte, se vidisse in somnis illa omnia, eo quo dicta sunt ordine.

CXLIV. *Idem Laurentius, ab hominis insolentis injuria, mire defenditur.*

SEd, quod hactenus narravimus, plus habuit admirationis quam laudis, plus delectationis quam utilitatis; at, quod subjicitur, est ejusmodi, ut admirationis habeat minimum, laudis plurimum, delectationis fere nihil, utilitatis multum. etenim omnia in eo insunt, lenitatis, patientiæ, atque animi de se demisse humiliterque sentientis exempla.

Quo tempore in Collegio Germanico, summa cum laude, musicæ rei præerat, pro eo, quod ob eximiam modulandi rationem magno erat in honore ac nomine, fiebat, ut in festis aliarum ecclesiarum diebus, vehementer ejus opera expeteretur; quam ille ex se probam ac laudabilem dabat. verum, die D. Ambrosio sacro, cum in ejus Æde, virginibus illis navaret operam, lepide contigit, ut ex cantoribus Pontificiis unus, aliud fortasse agens, nec ad Laurentium plaudentem aspiciens, erraret, aliisque errandi causam afferret. hunc, completo sacro, seductum, amicissime Laurentius admonuit, ut posthac attentius plausus numeraret; sua enim culpa totum concinentium chorum perturbatum pene conticuisse. quod ille ægre ferens, barbara quadam arrogantia elatus, sane contumaciter, Itane, inquit, mecum agitur? i, ac pueris tuis istuc præcipe; mei enim similes à nemine admonentur. ac processisset etiam verbis longius, nisi ami-

amicorum interventu repressus fuisset. vix dies octo ab hoc sermone intercesserant, cum in summa Agonali platea Laurentius eum videt, atque occupat prior, ac salvere jubet; tum, detractis sibi è crumena aliquot nummis, qui pro mercede ejus diei, quo absurde cecinerat, eidem debebantur, tradidit. at ille in eadem contumacia perseverans, arrogantibus sane verbis, ac stomacho & iracundia effervescentibus, Ita ne, inquit, tibi idoneus videor, quem more puerorum corripias, ac pene ferula perterrefacias? num ita factum oportuit? Laurentius primo se excusare; sed cum ille magis instaret, demisse humiliterque, ut sibi ignosceret, exorare; ac cum nihil proficeret, jamque prope esset, ut verberaretur, divina ope, præsentissimo illi periculo ereptus est. nam adfuit ex improviso cerebrosus quidam, quem pridie ejus diei ille contumax, inter altercandum, contumelia affecerat, ac, Pessime, exclamat, non potes nunc mihi elabi è manibus; atque, eadem opera, rejecto pallio, eidem in os involavit, & plus quam quingentos colaphos infregit, tum calcibus & pugnis ad terram abjecit, ut etiam vicinia illa, quæ Laurentio venisse eum auxilio existimaret, lætaretur, ac nihil ab eo rectius factum esse affirmaret. postremo contumax ille surgens, male multatus, ac dedecoris ignominiæque plenus, domum revertit; qui postero die, quam illa erant acta, Vincentium avunculum adiit, demisseque ab eo, ut sibi ignosceret, exoravit; se nolle factum, quod fecisset. sed, re inter cantores patefacta, inventus est nemo, qui non eum execraretur; denique in tantum omnium odium venit, ut nemo eum amplius cantatum provocaverit; adeo ut, cum stipendiis sacelli Pontificii desperaret se posse musice, ut antea, vitam exigere, lucri causa ludum alearium domi suæ instituerit. quamobrem in carcerem conjectus, & ex albo cantorum expunctus, jussus est exulatum abire.

CXLV.

CXLV. *Æquissimum prudentissimumque optimi ac sapientissimi judicis judicium.*

REgibus ac judicibus orbis terræ, (si nihil sit propositum, nisi quod est æquum ac rectum) Spiritus Sancti numen adesse, argumento in primis est æquissimum illud atque omnium linguis ac literis celebratum Regis Salomonis judicium, duabus illis meritricibus redditum, quarum utraque, puerum superstitem, suum esse filium asserebat. nostra vero memoria, Matthæum Burattum, probitate, ac juris scientia, non unum è multis, potius inter multos prope singularem, rationem illam edoctum divinitus arbitror, qua improbi cujusdam dolos detexit, & mulieris viduæ indemnitati consuluit.

Quo tempore hic vir sapiens ac doctus, Auditoris Cameræ Vicarius, juri dicundo præerat, mulieri cuidam viduæ scuta septingenta persoluta fuerant; quæ illa, sæpius rogata, vicino, viro nobili, in mercimoniis quibusdam coëmendis occupato, mutua dederat; atque ille quartum post mensem se eidem renumeraturum spoponderat; &, quo mulieri cautum esset, syngrapham scripserat, eidemque tradiderat: verum cum ejus pecuniæ dies non advenisset solum, sed multos jam menses præteriisset, neque ille pecuniæ reddendæ mentionem plus faceret, quam si eam nunquam mutuam accepisset, cœpit eam mulier efflagitare; quam ille semper, vana spe inflatam, à se inanem dimittebat. sed ubi illa, se duci, neque sibi quidquam præter verba dari cognoscit, pergit multo acrius instare, atque urgere. at postquam vafer, omnem sibi ereptam excusationem, videt, negat se nummum cuiquam debere. itaque mulier, una cum syngrapha, tabellionis cujusdam officium intrat, ubi scribæ aderant plures, quorum uni rem narrat, & syngrapham tradit; qua ille inspecta, cachinnos effert, ac mulieri imperat, ut sociis legendam ostendat; qui item cachinnos effusissimos edidere. quod mulier admirans, Quid, inquit, sibi isti volunt? quid rident? at si sedes, & quasi regio ridiculi, deformitas est, non adeo me turpem

pem agnoſco, ut rideri debear. in pauca ut conferam. ad tabellionem mittitur, qui, re cognita & ſyngrapha diligenter inſpecta, mulierem fuiſſe deceptam agnovit, ac, Noli, inquit, mirari, ſi rideris; tibi enim os ſublitum eſt pulchre; nam inficiator, qui ſyngrapham ſcripſit, nihil in eam intulit, præter ſalutationem ad B. Virginem, cujus initium eſt, *Salve Regina*. tum mulier flere, conqueri, lamentari, Dei atque hominum fidem implorare. at tabellio, Párce inquit, fletibus, citius Burattum judicem adi; is, pro ſua auctoritate atque ſapientia, aliquid inveniet, quo nebulonis iſtius fraus detegatur. accurrit mulier exanimata, & ad ædes judicis venit; commodum, cum ille, cauſis cognitis, è tribunali deſcenderet, accedit, injuriam ſibi factam expoſtulat, narrat, quemadmodum pecunia dotali ab inficiatore illo everſa ſit, quam à ſe mutuam acceperat, ut mercimonium quoddam coëmeret; genus etiam mercimonii, in quo pecunia collocata fuiſſet, exponit; ſyngrapham affert, quam vafer ille, cautionis loco, conſcripſerat. judex, re cognita, mulierem ludos eſſe factam, pro certo exiſtimavit, & in proximum ibi cubiculum ſecedere tantiſper jubet, dum inficiatorem illum ad ſe ſe arceſſat. mittit igitur, qui eum adducant; adductum humaniter excipit, ſalutat, ſeducit, rogat, quid rerum agat, ut valeat; ut merx illa, quam proxime emerat, lucro eum affeciſſet, interrogat. cui ille, non male ſibi negocium ſub manus ſucceſſiſſe reſpondet. rogat rurſum, num mutuum, ad eam rem ſumtum, mulieri reddidiſſet? reſpondet ille, ſe mulierem quidem noſſe, ſed neque illi, neque mortalium cuiquam, nummum ullum debere. tum Iudex, prolata in medium ſyngrapha, quæſivit, num chirographum ſuum agnoſceret? non eſt auſus negare. ſed quonam, inquit, iſtud ſpectat? eo, ait judex, ut ſcuta ſeptingenta, hic ſine ulla mora diſſolvas; nam, ſi cuivis alteri tecum res eſſet, eundem cogerem legis præſcripto atque ordine tecum agere, teque judicio non antea damnarem, quam legitima omnia confecta eſſent; ſed quoniam omnis tibi cum B. Virgine res eſt, pedem ex hoc cubiculo non feres, niſi eidem, quod ſatis ſit, facias. ſed cum ille clamaret, ac ſibi

ſibi vim fieri diceret, judex, Evocato, inquit, aliquis lictores, qui vinctum hunc abſtrahant, & in ſanctiorem carcerem condant, atque, eadem opera, rhedæ equos adjungite; nam mihi ſummus Pont. adeundus eſt, ac de improbiſſimo iſtius furto docendus. tum ille, vinculorum metu adductus, & ſimul iram Pontificis veritus, qui tum erat Paulus v, ſi hæc tam inſignis fraus paululum eidem ſuboluiſſet, multis cum precibus à judice impetravit, ut ſibi liceret mulieri ſatisfacere; ac, miſſis qui pecuniam afferrent, eandem ſine controverſia mulieri enumeravit.

CXLVI. *Conclavis ruina, patrinus, una cum ſuſcepti à ſe matre, obteritur.*

PAtrinis, ſeu ſuſceptoribus, ſacroſanctas debere eſſe mulieres eas, quarum liberos de baptiſmi fonte ſuſceperint, divinæ in eos animadverſiones oſtendunt, quorum lapſa eſt libido in hoc tam vetito concubitus genere.

Frater quidam Capuccinus, anno MDCXXXIV, Romæ, de ſuſceptore quodam narrabat, qui ejus, quem ſuſceperat, matri per flagitium conſueverat. hic amicorum cohortationibus admonitionibuſque coactus, demum ab ea conſuetudine ſe amoverat, neque totos tres menſes quidquam cum illa rationis habuerat. ſed cum, pravæ conſuetudinis vi incitatus, deſiderium mulieris ferre non poſſet, demum in idem cum ea lutum revolutus eſt. cum igitur uterque ocioſus, animo obſequeretur ſuo, neque divinæ juſtitiæ veniret illis in mentem; nocte quadam, cum inter ſe complexi jacerent, conclave, in quo erant, corruit, eoſque obtrivit. quod autem improbiſſima illorum cupiditas præſertim, à Deo, ad ſupplicium vocaretur, illud oſtendit, quod eos tantum, ac neminem præterea alium, ſubitus ille caſus oppreſſit. nam pueris, qui juxta cubabant, utpote innoxiis, nihil nocuit, ſed vivi atque incolumes ex ea ruina eruti ſunt.

CXLVII. *Statim ab ineunte ætate, prætermissis voluptatibus, directum ad virtutem iter suscipiendum esse.*

SOlent plerunque adolescentes vitia libidinis, ætatis excusatione, defendere; tanquam si illa ætas vix possit sine casu & prolapsione consistere, vel tanquam si impunitam omnium rerum licentiam & libertatem obtineat; quorum utrunque abest à veritate longissime. etenim, omnibus fere sæculis, inventi sunt plures, qui vel rectum ad laudem iter, sine casu aliquo, tenuerunt, qui vero se flagitiis inquinassent, multis à Deo plagis, ac subita interdum morte affecti, spretæ castitatis pœnas dederunt.

Me adolescente, duo erant fratres, sanguine germani, sed ad omnia vitia plane gemelli. hi pueri, propemodum pares ætate; nam vix alter altero triennio erat major; hi, inquam, patris indulgentia, nequissimi, turpissimis erant imbuti cupiditatibus; adeo ut, prius quam puberes essent, non modo pudicitiæ suæ non parcerent, sed alienam ereptum etiam irent, scortarentur, vino atque epulis una corpus atque animum onerarent. verum cum nullis, majorum natu, persuasionibus adduci possent, ut vitæ statum commutarent, sed pristinum mordicus victum tenerent, uterque horribili à Deo morbo percutitur; cujus vi, primum major, tum minor, consumtus interiit. quamobrem fuerunt æqualibus suis exemplo, puerorum & adolescentium flagitia, nulla apud Deum ætatis excusatione defendi.

CXLVIII. *Aliquot nobilissimi, itemque improbissimi adolescentes, frustra concionatoris voce, de loco superiore, admoniti, eodem anno interfecti, contumaciæ pœnas dederunt.*

SVnt etiam aliqui, qui non solum propter ætatem, verum etiam propter summas opes, summamque nobilita-

bilitatem, omnia sibi licere arbitrantur, ac prope sibi persuasum habent, ipsorum nobilitati atque potentiæ, æquum esse, ipsum etiam Deum cedere, fascesque summittere.

Narrat idem Angelus Lomellinus, de quo sæpius mentionem fecimus, non ita multis ab hinc annis fuisse Januæ adolescentes aliquot, genere, opibus, copiis, ejus civitatis facile primos, qui ea licentia, quam ipsis tribuebat ætas, ac summa nobilitas, intolerantius insolentiusque se jactabant; neque solum libere, petulanter, effuse, ac libidinose vitam agebant, verum etiam in Ædes sacras coibant, ea præsertim hora, qua concio tota, rerum divinarum interpreti, operam dabat, ibique, summa populi totius offensione, consueverant impudentissime mulierum formas contemplari, inter se colloqui, cachinnos tollere, multaque alia facere, quibus ludibrio Deus haberi videbatur. non defuere, qui eos privatim admonerent, ut moribus illis desisterent, ac Deum in primis vererentur ac metuerent; quod illi, more suo, neglexerunt. Quamobrem concionator quidam, è congregatione Somaschæ, quam vocant, nullum privatis admonitionibus relictum esse locum animadvertens, statuit impiam illorum contumaciam, de loco superiore, palam arguere; quod cum, magna vi vocis & contentione animi, ageret, ad objurgationes minas addidit, atque inter cetera interminatus dicitur, si impii in Deum esse pergerent, neque mores corrigerent, fore ut ille, crucis baculo, ipsorum nequitiæ obviam iret. qua illi oratione vehementer commoti, universi eum adiere, ac, verborum contumeliis antea oneratum, monuerunt, ut linguam compesceret; nam si pergeret esse molestus, ac dicere, ipsos crucis baculo verberandos, fore ut alius antea illi, valido fuste, scapulas & brachia doleret. quibus vir Dei in præsentia, quid responderet, non habuit; verum rem totam in Deum rejecit; neque vero prædictionem suam fefellit eventus; nam Deus injuriam, sibi factam, ultus est probe. nemo enim illorum, sua morte, defunctus est, sed intra anni unius spacium, ad unum omnes ferro interempti, perierunt.

CXLIX. *Duo adolescentes nobiles, anno vertente, ea ipsa die trucidantur, quo virum innocentem occiderant.*

VErum istorum audacia atque temeritas, tantummodo intra verba se continuit, neque in alind præterea facinus exiit; sed aliorum duorum, summo item genere, summisque opibus adolescentium immanitas progressa est longius; quæ non intra verba tantum sæviit, verum etiam viri innocentissimi saturari sanguine voluit. atqui hi adolescentes, pessimis effusissimisque moribus præditi, quo libidinibus suis largius obsequerentur, nihil sumtui modestiæque parcebant, ac pene fortunis omnibus se properabant evertere. quos immanes eorum sumtus ut aliqua ex parte coërceret, cœpit parens, eorundem luxuriæ parcius suppeditare. id illi sacerdotis cujusdam, sanctissimi religiosissimique viri, opera factum existimantes, qui sacerdos erat patri à confessionibus, summum & inexpiabile in eum odium conceperunt; quod demum exitium, ac pestem, hominis innocentis capiti attulit. nam eidem, die D. Stephano sacro, ad aram supplicanti, impii illi sicarii pugionem demiserunt in pectus; cui morienti non alia vox excidit, nisi ea, Itidem vobis parco, ut D. hodie Stephanus iis pepercit, à quibus lapidibus obruebatur. sed tanti sceleris rei, non diu jactare se potuerunt. nam, anno vertente, illo eodem die sunt interfecti, quo sacrilegas sanctissimo viro manus attulerant. atque divina plane ratione factum videtur, ut alii, viro innocenti, eorum sanguine, quorum ille scelere atque perfidia interiisset, parentarent.

CL. *Celebre emporium, una cum mercibus eo advectis, subito igne conflagrat.*

QVamvis sæpe Deus, peccatis hominum provocatus, statim ut diximus, de referenda hominibus impuris gratia, non cogitet, quia, cum sit benignus atque mise-

misericors, cogitat cogitationes pacis, & non afflictionis; attamen, si nulla pœnitentia consequatur, si peccata peccatis adjiciantur, ac divinæ ejus iracundiæ quasi faces admoveantur, continuo erumpit, quasi fulgur, ira ejus, & tarditas supplicii, ejusdem gravitate compensatur.

Quoddam est oppidum Æmiliæ, ubi anniversariis Deiparæ in cælum assumptæ sacris, nobile quotannis emporium celebratur, quo non vicinarum modo urbium, sed remotarum quoque partium mercatores cum mercibus commeant; & quoniam magna ibidem pecuniæ vis cogitur atque tractatur, meretrices, mimi, & circulatores complures, eodem, quæstus sui gratia, conveniunt. præterea, quia oppidum est angustius, quam ut tantam tum virorum tum mulierum multitudinem, tota ex Æmilia confluentium, possit excipere, in Ædem Deiparæ sacram, quæ ibi à Patribus Carmelitis tenetur, aditus mulieribus patet. quo fit, ut iis diebus, qui in eo mercatu consumuntur, multa improbe, avare, flagitiose, contra jus fasque perpetrentur. quæ cùm diutius ferri tolerarique non possent, visum est tandem divinæ justitiæ, severe atque acriter vindicare; atque illud in primis animadversionis genus arripuit, quod dolorem efficeret, peccatorumque materiam causasque præcideret. etenim opes ac divitias, quæ solent esse instrumenta libidinis avaritiæque, subito igne delevit. sunt in eo mercatu omnes propemodum casæ, silvestribus ex cannis viminibusque, quibus facile ignis excitatur, extructæ, atque contectæ; in earum una, mulier, quæ cauponiam factitabat, cum pisces frigeret, flamma in frixorium descendit, & exinde oleo fota, resiluit, ascendensque tectorio adhæsit, tum ad reliquas deinceps casas progrediens, omnes antea comprehendit, & in cinerem vertit, quam ferri auxilium posset; rerum ferme omnium jactura; adeo ut damnum, quod eo die factum est, ad decies centena aureorum millia pervenisse existimetur.

CLI. *Mercator occisus, se palam ei, à quo fuerat interfectus, ostendit, ac mandat, ut nosocomium extruat ex precio mercium, quas advexerat.*

NOn solum fidei catholicæ veritate certum atque exploratum nobis est, in morte non totum hominem interire, sed animum, immortali natura præditum, incorruptum permanere: verum etiam, compluribus visis, id adeo confirmatum est, ut non tam impii, quam insani sit hominis, de ea re amplius dubitare. sed, ex omnibus visis, illud est admirabile, quod à P. Nicolao Riccardio, Sac. Palatii magistro, Matriti ante annos aliquot contigisse narratur.

Erat ibi vir quidam summe nobilis, & Marchionis etiam titulo clarus. hic cum, nocte quadam, animi causa, ut fit, domo egressus, ejus oppidi vias obiret, in quadam domus cujusdam versura, capite obvoluto, hominem ibi stantem offendit, ac suspicione offensus, & fortasse insidias metuens, interrogavit, quisnam esset; sed responsum ab eo nullum accepit. quamobrem majorem in modum commotus, jussit eum gladium educere, atque in certamen cum ipso venire; qui in eodem silentio perseveravit, ac nihilo se magis commovit, quam si lapis vel stipes esset. tum ille, iracundia elatus, districto in eum gladio impetum fecit, ac bis punctim verberatum, ad terram afflixit, ac statim deinde, domum se recepit. sed, cum aliquot dies interpositi, propemodum ejus facti memoriam subduxissent, & nocte quadam ociosus domi cœnaret, evocatur ab ostio, ab homine ignoto, cui cum famuli respondissent, paulo eum ante, cœnam iniisse, nec posse cuidam operam dare, ille majore vi orare eos cœpit, ut nunciarent domino, ut prodiret; ea enim se afferre, quæ ad ipsum maxime pertinerent; tum illi, odio victi, nunciant domino, hominem stare ad januam quendam, ipsis ignotum, qui eum magnopere evocaret. quo audito, surrexit ille, ac prodiit, & quendam videt, à quo interrogatur, si eum nosset;

ſet; cui illle, Non equidem, inquit; neque te ante hunc vidi diem. quod cum is, qui rogaverat, mirari videretur, Nonne, ait, meminiſti, te tali nocte quendam, obvoluto capite in via ſtantem, tranſverberaſſe, ac ſtatim neci dediſſe? is ego ſum, qui quidem multas ex India merces advexeram, eratque in animo, ex pecunia, quam ex eis redegiſſem, celebre in hoc oppido noſocomium extruere; ſed quoniam tua mihi ſævitia ejus rei facultas adempta eſt, propterea, quæ meæ fuerant partes, eas ſcito ad te rediiſſe; cape ſis has claves, & quidquid duabus promptuariis in cellis mercium inveneris, vendito; tum quidquid ex collybiſticis iſtis ſymbolis mihi debetur, exigito, ex eaque pecunia, quæ cogitaveram, tu ipſe perficito. nec plura locutus, è conſpectu evanuit. hoc viſo, tanto vir ille nobilis horrore perfuſus eſt, ut propemodum à ſenſibus deſtitutus, vix animam retinuerit, ac ſuorum manibus delatus in lectum, ægre, ac multis medicamentis adhibitis, effectum eſt, ut ad ſe ipſum rediret. verum ita retentus eſt in vita, ut, cum eſſet formoſiſſimus, perpetuam in facie, atque in omnibus membris, maciem palloremque ſervaverit. Hæc à P. Nicolao Riccardio ſunt excepta, ut diximus; qui cum eſſet in Hiſpania, non ſatis habuit, hæc ex ſermonibus vulgi percipere, ſed voluit etiam ex eo cognoſcere, unde alii didiciſſent; hoc eſt in re tanta indaganda, noluit rivulos conſectari, ſed ſtatuit fontem, ut ajunt, adire.

CLII. *Clericus ob coronam, quam ipſi invito tonſor in capite circumſcripſerat, interfectis cæteris, à barbaris diligentiſſime ſervatur.*

EA genus hominum Deus caritate complectitur, ut de ſingulorum ſalute ſolicitior ſit, quam alius quivis parens, vel mater. *numquid*, inquit ille, *oblivisci poteſt filii uteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviſcar tui.* quo amore ac providentia fit, ut ſæpe homines, properantes ſe ad interitum dare, retineat, ac prope invitos ac repugnantes, ex faucibus mortis eripiat. atqui

paterna ejusdem in nos cura solicitudoque, superioribus annis, mirabiliter in sacerdote quodam enituit, qui iter mari facturus, antequam navim conscenderet, caput tonsori commisit, quo illud molesto ac supervacuo capillorum pondere exoneraret. & quoniam erat illi fortasse in animo, laxius vitæ genus persequi, cui rei impedimento clericalis habitus erat, tonsori præceperat, ut nullam, in tondendo, clericalis coronæ formam effingeret, ne quod in ipso clerici vestigium deprehenderetur. at tonsor, imperii oblitus, priusquam ullum præcideret pilum, coronæ orbem solito laxiorem ejusdem in capite circumscripsit; quo ille animadverso, usque adeo elatus est stomacho & iracundia, ut exiliens, multisque tonsorem maledictis afficiens, è tonstrina prodierit, neque quidquam eidem pro mercede persolverit. ita igitur, ut diximus, tonsus, ingressus est mare, jamque navigium, quo una cum vectoribus multis vehebatur, altum capesserat, cum à piratis conspicitur, expetiturque, cumque nulla fugæ ratio esset, circumsistitur, capitur, atque eadem opera, vectores ad unum omnes obtruncantur; sed simul ac ventum est ad istum, qui ægre passus fuerat, ad coronæ similitudinem, sibi caput tonderi, ac pileus eidem detractus, continuo corona capiti hærens apparuit, tum prædo, qui erat eum obtruncaturus, Parcite huic, inquit; namque initiatus est sacris. quo audito, inventus est nemo, qui ausus sit eum attingere. itaque ab ea corona salutem invenit, qua se moleste tulerat insigniri; atque ob eam rem, percussis cæteris, barbaris illis sacrosanctus est habitus, unde ipsi tonsor verborum contumeliis dignus est visus.

CLIII. *Minister hæreticorum, qui res miras, à B. V. patratas, à Catholicis confictas esse contenderat, palam à dæmone, uti sibi fuerat imprecatus, eripitur.*

SVnt quidam sapientes hujus sæculi, qui tum maxime sapientia cæteros se anteire existimant, cum, quæ à Deo, B. Virginis vel Sanctorum intercessione, supra natu-

naturæ vires eduntur, tanquam aniles fabulas, vel ad lucrum captandum ficta, convellere ac labefactare conantur; immo codices, stipeos, plumbeos, atque alia, quæ sunt dicta in stultum, præ se eos esse arbitrantur, qui assensionem suam miraculis præbent. verum istorum sæpe stultitiam Deus ea omnia superare convincit, quæ ipsi in eos, quos irridebant, convenire jactabant. quod videlicet suo ipsi malo edocti, demum fateri coguntur, se non minus stulte, quam impie, conatos fuisse, miraculis fidem abrogare, quorum in se vim experiri cogerentur.

In oppido Subalpinæ regionis, Monte regali nomine, Deiparæ Virginis imago religiosissime colitur, quæ anno MDXCIV adeo florere miraculis cœpit, ut non oppidanos modo, sed propinquarum etiam urbium ac regionum incolas ac cives ad se se attraheret; qui incredibili pene concursu, partim voti solvendi causa, partim ad petendum auxilium, conveniebant. qua in primis fama compulsus Helvetiorum quidam pagus, hæretica labe infectus, certum illuc hominem, cum mandatis allegavit; primum ut mira illa, si vera essent, oculis ipse suis acciperet, tum penitus perspecta ac cognita, ad ipsos pagi ejusdem moderatores ducesque referret. qui cum Montem regalem, ut erat præceptum, venisset, comperit, rem ipsam multo esse fama majorem. nam quotquot ad B. Virginis opem auxiliumque confugiebant, omnes fere voti compores abire cernebat. quam B. Virginis benignitatem, in omnes large effuseque diffusam, sensit etiam in se se maxima ex parte fluxisse. nam, singulari B. Virginis munere, & celebritate illa & religione hominum permotus, amplexus est catholicam fidem, à qua antea abhorrebat. itaque reversus in patriam, & quæ oculis ipse acceperat, quæque in se expertus fuerat, popularibus suis exposuit; qui cum fidem faceret, vehementerque omnium animos ad B. Virginis studium & Catholicę religionis amorem impelleret, id hæreticæ impietatis minister quidam animadvertens, suggestum conscendit, ac, vehementissima contentione animi, conatus est iis, quæ ab eo dicebantur, detrahere, cum diceret, hæc esse nota atque vulgata sacerdotum

nostrorum commenta, ad emungendas simplicium virorum crumenas. neque tamen multum proficiebat; nam propensior erat populus in ea, quæ audierat. tum ille commotior factus, cœpit multa capiti suo mala imprecari, nisi falsa ea essent, quæ ipsis deferebantur; atque in primis precatus est Deum, ut, si mentiretur, ipsis inspectantibus, à dæmone abreptus, in æternos cruciatus abstraheretur. neque diutius suo à capite pestis, quam sibi imprecatus fuerat, abfuit. nam continuo, cunctis cernentibus, abreptus est, &, quo erat dignus, asportatus. quamobrem suo infortunio fidem iis, quæ nunciabantur, obtinuit, sicut optaverat; nunc vero apud inferos positus, una cum dæmonibus, quibus se addixerat, credit & contremiscit.

CLIV. *Cæsaris amanuensis, eidem, vita functus, apparet.*

QVod animæ defunctorum, cum è corporibus excesserint, peccatorum sordes, quas in vita collegerint, purgatorio igne abstergant, quodque, piorum hominum suffragiis, acerbissimo omnium supplicio eximantur, tum fide Catholica, tum sacrarum litterarum testimonio, perspicuum est adeo, ut de eo dubitari non possit. verum id multis sæpe Deus monstris prodigiisque confirmat, atque oculis subjicit; quo nimirum, ad id pietatis officiique genus, promptiores alacrioresque reddamur.

Ferdinandus Cæsar, qui, calamitosis hisce temporibus, imperii navim in summis tempestatibus periculisque moderatur ac regit, amanuensem habuit, consiliorum omnium participem: is obiit mortem, sed aliquanto post Cæsari in conspectum venit; quem ille cum esset intuitus, alacri atque præsenti animo, ejus adventus causam exquisivit; sed nullum ab eo responsum accepit; sed ejus loco sibi dexteram dari conspexit, quam imperterritus Cæsar accepit; verum ita ardentem offendit, ut ferri tolerarique non posset. quamobrem fuit coactus protinus eam amittere; sed vix amisit, cum ille excessit ex oculis. at tum demum Cæsar intellexit, quænam ejus

ejus adventus causa fuisset, cujusque auxilii esset ille egens in primis. itaque, postero die aliisque deinceps, pro illius anima, multa piacularia sacra facienda curavit, quorum vi, flamma illa incendioque præreptum illum, fit verisimile in cælum abiisse; non enim alias se Cæsari videndum objecit. Hæc ego nobilem virum Polonum, Gottifredo nomine, narrantem audivi, qui tum temporis in aula Ferdinandi Cæsaris versabatur.

CLV. *Altilia quæ, die sacro Parasceues, in prandium viri principis hæretici allata fuerant, reviviscunt, atque è patinis evolant.*

QVibus statutum ac deliberatum est à divinæ legis præscripto non recedere, si quæ exterior vis ingruat, quæ sanctum istud propositum extorquere conetur, fere semper divinum aliquod è cœlo auxilium accedit, quod vim illam disjiciat, ipsósque in eo, quod proposuerint, adjuvet atque confirmet.

Narrat idem Gottifredus, in Regno Poloniæ, unum ex Regni proceribus, summis quidem opibus atque potentia, sed acerbissimo in Catholicam religionem odio præditum, quo magis Catholicorum sacris illuderet, feria VI majoris hebdomadis, jussisse opiparum exornari convivium, omnis generis altilium carnibus confertum, ad idque per vim fuisse sacerdotem quendam attractum, pietatis ac religionis fama notissimum; qui quia recusabat venire, quod eo die, ex veteri Catholicæ Ecclesiæ more, jejunaret, est coactus ad illud metu mortis accedere. sed cum esset animadversum, nihil eum nisi panem attingere, & in totum à carnibus abstinere, jussum esse, eadem mortis formidine injecta, etiam carnes assumere. tum illum, ex dolore animi, ingemuisse, ac positis humi genibus, ejusmodi ad Deum orationem habuisse. Domine Deus, adjutor meus, quo redactus sim vides; exurge obsecro, mihique in auxilium accurre, neque tuos dies festos deridiculo haberi, neque sacrosanctam hanc lucem, anniversariis Passionis tuæ sacris celebrem atque solemnem, hoc intempestivo hæreticorum convivio, ac vetito eduliorum genere contaminar

minar

minari à me violarique permittas; evoca fœdas ab inferis furias, quæ totum, quod hic eſt, abſtrahant, atque in infernas domos apportent. vix ea dixerat, cum, quidquid ibi erat avium, revixit, plumas recepit, fugam arripuit, & è menſa, atque adeo omnium è conſpectu, receſſit. at vir ille princeps, quanquam tum ſævus in Catholicos, tandem, divini numinis auxilio, ex hæreticorum caſtris in noſtra præſidia confugit, & quamdiu vixit, extitit Catholicæ religionis cultor eximius; qui poſtea gravi diutinoque implicitus morbo, Hieroſolymitanam peregrinationem ſuſcepturum ſe vovit, ſi contigiſſet convaleſcere. neque fecit ſecus, quam pollicitus erat. nam ſimul ac licuit, ſumma cum pietate ac religione loca illa ſacra, Chriſti Domini veſtigiis impreſſa, perluſtravit ac veneratus eſt, ejuſque etiam itineris commentarium omnium accuratiſſime ſcripſit; demum reverſus in patriam, optimum atque ſanctiſſimum exitum vitæ habuit, ac mortuum ſe peregrini habitu efferri, terræque mandari præcepit.

C L V I. *Virgo nubilis, fame coacta, potius quam caſtitatem venderet, detractam ſibi comam matri vendendam exhibuit.*

SAtis ſuperque, ut arbitror, exemplis demonſtravimus, creatori & conſervatori omnium Deo inſignem ab eis injuriam afferri, qui in ſummis vitæ difficultatibus ac periculis, ab alio potius quam ab ipſo vitæ auxilium expoſcunt. aut enim nihil in eo eſſe nobis opis exiſtimant, aut nulla nos divinæ ejus providentiæ parte contineri fatentur, à qua providentia, ne volucres quidem cæli, atque adeo ne lilia quidem agri excluduntur; atque, cum ſumma Dei omnipotentis injuria, ſapiens illud Davidis conſilium prorſus è memoria ejiciunt, qui, *Jacta*, inquit, *ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet.* Quod autem, qui, ex ejuſdem Davidis ſententia, ſpes ſuas omnes collocatas habent in Deo, de ſpe & opinione ſua non decidant, perſpicuum fit ex eo, quod mox dicturi ſumus.

Mu-

Mulieri viduæ filia erat, nubilis virgo, forma non mala; neque quidquam aderat, quo eam honesto cuipiam viro collocaret. etenim quæ sunt etiam ad vitam parce ac duriter agendam necessaria, omnia deerant; adeo ut, quæcunque loco moveri possent, quibus res ipsius paupercula continebatur, aut vendidisset, aut pignori opposuisset. quid multa? eo inopiæ redacta erat, ut de vendenda filiæ pudicitia cogitaret. cujus consilii cum participem filiam fecisset, eandemque summopere adhortata esset, ut illud in se flagitium admitti perpeteretur, quod unicum esset remedium, ne fame ac cæterarum rerum inopia conficeretur; prudens virgo assimulavit, se cum matre sentire, sed dieculam ad eam rem petiit; æquum enim esse ajebat, omnia antea experiri, quam ad illud extremum atque ultimum remedium decurrere; quod ipsis semper integrum foret. his dictis, productam, auroque simillimam comam, suo capiti ferro detraxit, matrique vendendam exhibuit. quam cum illa deinde in foro venalem haberet, vir locuples ea pulchritudine delectatus, constitit, rogavitque, num ne ea sacræ cuipiam Deo Virgini præcisa esset. tum mater egregium filiæ facinus, summamque illius paupertatem exposuit, qua suadente, capillos sibi ademisset, quo, sine pudicitiæ jactura, necessitatibus vitæ prospiceret. obstupuit vir ille locuples, virginis sagacitate atque prudentia, simulque captus est misericordia ejusdem miseriarum. itaque celans in animo, quod cogitabat, mulierem bono esse animo jussit; sed plenius doceri cupiens, discessit, & clam vicinos adiit, eosque de virginis vita ac moribus percontatus, invenit, illorum de virginis pudicitia sermones cum ejusdem matris oratione congruere. qua fama compulsus, virginem indotatam duxit uxorem domum, summa patris sui voluntate, qui in affinitatibus conglutinandis bonam virginum famam divitiis omnibus anteferendam existimabat. quo exemplo fit omnibus palam, quod *nullus speravit in Domino & confusus est. quis enim permansit in mandatis ejus, & derelictus est? aut quis invocavit eum, & despexit illum?*

CLVII. *Hæreticus, Catholici viri derisor, cujus oratione ad veram fidem trahebatur, in sua perfidia, brevi post tempore, moritur.*

PEssimum peccantium genus merito illud habetur, cui non modo cogitatio nulla conversionis ad Deum occurrit, sed perpetua peccandi voluntas inhæret. hos si quispiam, caritatis studio ductus, salutaribus monitis ab errore in viam revocare contendit, non solum inanem operam sumit, sed ultro etiam ab eis illusus irrisusque discedit: quo fit, ut isti ad auxilium cælestis gratiæ, omnes sibi aditus intercludant ac sepiant. nam *voluntarie peccantibus*, ut inquit Apostolus, *jam non datur pro peccatis hostia, terribilis autem expectatio judicii.*

In Gallia Narbonensi, apud Montem Pessulanum, vir quidam Catholicæ religionis, & salutis animarum studio incensus, dabat operam sedulo, ut hæreticum, obstinatum in primis, ad Catholicæ fidei castra traduceret: verum egregii illius conatus in irritum recidebant; nam à perfido illo fidei desertore deridiculo habebatur. qui fidei desertor, in quodam colloquio, tanquam per ludibrium, Libenter, inquit, religionem istam, quam omnibus præfers, amplecterer, nisi sacerdotis, qui vobis est à confessionibus, sævitiam pertimescerem; ille enim, pœnæ loco, Compostellanam mihi peregrinationem injungeret, quod sane nimis longum est iter, atque à rationibus meis alienum. tum ille, irrideri se minime ignorans, Vide, ait, ne tua isthæc pertinacia aliud te quam primum iter, multo isto, quod prædicas, longius, cogat arripere. quæ verba, non minantis sed prædicentis, non adversantis sed vaticinantis fuisse, miser ille non ita multo post sensit. etenim paucos post eum sermonem, menses an dies? in sua perfidia, multisque aliis in sceleribus ac peccatis est mortuus; atque ex pii illius hominis prædictione illud ingressus est iter, quo nullum, neque longius neque difficilius neque periculosius, invenitur.

CLVIII. *Ob*

CLVIII. *Ob secularia negotia non esse sacrarum Ædium cultum oblivioni mandandum.*

NOn est eundem inficias, multa sæpe homini ex improviso contingere, in quibus casus, non ratio dominatur, eumque, qui ejusmodi quapiam calamitate miseriisque afficitur, invenustum & infortunatum dicere non dubitamus: verum si infortunium, in quod incidit, culpa aliqua antecesserit, digna animadversione, non ea continuo infelicitati illius assignanda est, sed culpæ, quam commeruit, tribuenda. non vagabitur oratio mea longius, sed me ipso, peccatorum omnium maximo, continebitur.

Cum, Anno MDCXXXIV, die D. Nicolao sacro, Principis Apostolorum Ædem, non tam orandi, quam præfecti musicæ conveniendi causa, introissem, eundem, transactis suis partibus, prope è templo egredientem offendi; cui statim me comitem addidi, oblitus Apostolorum sepulcrum supplicatione aliqua venerari; &, cujus nunc criminis me magis pudet pigetque, saltem ante aram maximam genua flectere. itaque, egressus templo, cœpi ire una cum illo in via. secutus est etiam alter nos musicus. sed vix totam illam plateam, quæ templo eidem adjacet, sumus emensi; cum Apostolus, ferens indigne, religiosissimum illud templum adeo irreverenter à me habitum, voluit me levi saltem castigatione corripere, & flagitii, quod admiseram, admonere. forte, qua nobis transeundum erat, agaso quidam, jumentum ad clathros cellæ cujusdam vinariæ, humi depressæ, alligaverat, atque hordeum eidem objecerat: at jumentum, pronum in pastum, ita funem, cui alligabatur, in terram demiserat, ut animadverti vix posset, præsertim à me, in alias cogitationes distracto: verum, repentino advenientium aspectu perterritum, caput attollens, funem etiam sustulit, qui tanquam in insidiis humi jacebat. in quem ego incurrens, ab eodem supplantatus, in genua concidi. at casum illum, & prolapsionem divinitus extitisse, non casu, duo in primis sunt argumento; primum, quod cum medius inter duos incede-

cederem, soli mihi contigit cadere, aliis non item; fuerat enim, ni fallor, idem illis quoque casus subeundus: deinde cum recta ad urbem tenderem, ac proinde urbem in conspectu haberem, Vaticanam vero Ædem à tergo reliquissem, postulabat ratio, ut eum in locum versus prolaberer, quo iter haberem; sed, nescio quo pacto, contigit, ut cadens, templum, quod à tergo reliquissem, aspicerem; ut, qui sponte, ac sine malo, debitum religiosissimæ Ædi honorem & cultum exhibere neglexissem, eundem illi invitus & cum dolore præstarem, multisque essem exemplo, ne adeo rei suæ dent operam, ut, quæ sunt Dei, obliviscantur.

CLIX. *Mors militis cujusdam Poloni, scelerati hominis, pessima.*

F Andreas Rais, ex religiosa Io. Dei familia, à confessionibus ægrotantium, in Nosocomio S. Io. Collabitæ, in insula Tiberina, refert, anno MDCXXIII, cum in insula Danubii prope Viennam, quod est oppidum totius Austriæ multo maximum ac celeberrimum, propter sedem Imperii, Nosocomii illius Præfecto vicariam operam daret, defecisse à Ferdinando II Cæsare populos, sibi subjectos; quorum opes cum in dies magis augescerent, coactum esse Cæsarem, ad externa auxilia confugere, & præsertim ad Sigismundum Poloniæ Regem, à quo Ruthenorum sex millium exercitum comparavit; verum hos Ruthenos, cum die quodam, prima luce, ad ripam Danubii consedissent, & pontem transire conarentur, ex improviso in Germanos incidisse, qui, duce quodam, insigni Ferdinandi Cæsaris perduelli, pontis eos aditu prohibebant; itaque pugnatum ibi esse acriter, & multos utrinque amissos; sed inter saucios, repertum esse juvenem Polonum, in primis suæ civitatis nobilem, ea corporis proceritate, ut usitatas corporum magnitudines palmo superaret; hunc Vngarico telo graviter in capite vulneratum, quod membranam, qua cerebrum continetur, vulnus aperuisset, amicorum manibus delatum esse in illud Nosocomium,

minium, & in lecto collocatum; ibique, ex catholicæ religionis ritu, pœnitentiæ & Eucharistiæ sacramentis, ad mortem, si obeunda esset, probe munitum. sed cum, multos jam dies, æger lecto detineretur, neque ulla sanitatis, sed contra, manifesta mortis signa se darent, delirium accessisse, cœpisseque, aliena eum loqui, ac, truci voce, horribiles ore sonitus edere; unde F. Andream mortem esse homini in propinquo, conjecisse, properasseque, ejus animam Deo commendare; sed subito quodam horrore fuisse correptum, ex eo, quod cœpisset æger violentius se gerere, ac plurima horrenda visu agere, quæ summum terrorem incuterent. ad hæc, ab utraque lectuli ejus parte, horribiles armorum strepitus exaudiebantur, atque à dextera clangor tubæ incitantis in pugnam, à sinistra vero militum concursus & cædes excipiebatur, ita clare, ut aliorum ægrotantium aures verberaret, ac pro se quisque sedulo, quid illuc tumultus esset, interrogaret; demum, inter hos terrores, animam exhalasse, cum antea ululans, ac pauca quædam verba, Polonæ linguæ ignaro non intellecta, exprimens, corporis totius mole se in altum extulisset, ac ipsius pondere in lectum proruisset: quo facto, neque amplius se commovisse, neque illos armorum strepitus exauditos. postridie mane prima luce, cum duces ac signiferi aliquot ad nosocomium accessissent, F. Andream omnia eis, quæ essent acta, narrasse; sed nullam admirationem attulisse; quod dicerent, hominem illum insigni crudelitate sævitiaque fuisse, neque quidquam aliud in vita meditatum esse, nisi cædes, latrocinia, atque alia ejusmodi militaria facinora; verum ejus se hominis jacturam iniquissimo animo ferre, cui, in re militari, non erat facile parem invenire.

CLX. *Duo libidinosi, subita morte moriuntur.*

ANno MDCXXXV, Procurator quidam Romæ, cui cum muliere impudica vetus erat usus consuetudoque, cœperat leviter ægrotare; quamobrem accersiri eam jusserat, ut ejus opera, si res posceret, utere-

tur; quæ dicto illi audiens, venit: verum, proxima nocte, morbus illi amplior est factus, adeo ut mori videretur: sed interea, dum unus ad medicum, ad sacerdotem alter accurrit, ut eos adducant, ille miser vim morbi ferre non potuit, sed in complexu mulierculæ, animam exhalavit.

Eodem anno, vir alter impurus, cum vellet cum amica in colloquium venire, nec locus alter commodior occurreret, quandam ædem sacram utriusque colloquio delegerat. nam fere usus obtinuit, ut in locis sanctissimis religiosissimisque, ejusmodi de rebus venereis negotia tractentur. quo cum illa ad diem atque horam dictam venisset, atque aliquot ibi horas ejus adventum expectasset, vidit inter plures cereos defuncti corpus efferri; quem cum esset intuita, illum esse cognovit, quem expectasset. etenim miser, subita oppressus morte, decesserat.

CLXI. *Patronus, qui causas clientum suorum adversariis prodebat, bis à Deo admonitus, cum non resipisceret, morte punitur.*

Erat Anconæ I.C. ex quodam Æmiliæ pago, egregie quidem doctus ac prudens, sed mire perfidiosus cupidusque pecuniæ; qui sæpe, in eadem causa, cum ab actore & à reo pecuniam accepisset, contrarium defendebat illi, quod eorum alteri scripserat: verum tantam sibi apud omnes auctoritatem, tantam ingenii doctrinæque opinionem pepererat, ut nihil putarent agi posse callide, nihil perite, ubi ipse non adesset. verum cum, die quodam, in nescio quo judicio, contra rem cujusdam viri nobilis, sed non admodum divitis, venisset, non tulit ille, sed, ut erat acer ac ferox, sica homini in facie vulnus inflixit, seque ab urbe removit. cumque aliquandiu patria domoque caruisset, & quod refert, cum jam nihil in marsupio relictum esset pecuniæ, qua vitam sustentaret, egit per amicos, aliosque, ut I. C. oblitus injuriarum, pacem cum ipso componeret; sed frustra. nam homo iracundus, & animi perditi,

diti, nullis cujusquam persuasionibus, nulla auctoritate adduci poterat, ut tam insignite sibi factam injuriam, esse inultam pateretur. quamobrem ille statuit optimum esse factu, vitæ expertem hominem facere; ac feriis Bacchanalibus, cum fere omnes tota, hac illac, urbe personati discurrunt, cum cognatus illi quidam adesset, bajuli habitu atque persona mimum agens, sclopum minusculum in illum emisit, qui innoxius, plumbeam glandem, quam exploserat, in machæræ pistoriensis, quam ille pallio tegebat, capulum impulit, atque incolumem eum dimisit; qui tamen mortis dilationem & moram, non autem effugium invenit, supplicium, quod momento pene temporis, ac nullo fere doloris sensu, animam adimeret, declinavit; sed in illud quod sensim, nec sine summo animi cruciatu, ad mortem daret, incurrit. nam cum aliquanto post, palam ejus criminis invidia laboraret, quod eorum causas, quos defendendos susceperat, adversariis proderet, Romæ reus prævaricationis est factus, ac vocatus, ut ad causam dicendam adesset; quo cum venisset, & multitudine testium obrueretur, ac cerneret, non posse se judicium ac pœnam effugere; animum despondit, ac demum, ea animi ægritudine, mortem obiens, non expectavit judicum sententiam, sed antevertit.

CLXII. *Virgines, sanctimonia atque modestia, non autem amatoriis artibus, debere sibi viros, quibus nubant, quærere.*

IN pluribus Italiæ, atque adeo orbis terræ oppidis, hic neque satis honestus, neque laudabilis inolevit usus, ut virgines nubiles, nimis enormiter liberæ, amatorum greges, quasi invitatos, habeant, in templum euntes ac redeuntes secum trahant, ad colloquium admittant, munuscula ab illis alata percipiant, invicem amplectantur, dexteram dexteræ jungant; quæ tametsi nuptiarum, quas propositas habent, excusatione tueri conentur, gravem tamen Dei offensionem habent adjunctam. egregie, ut cætera, S. Carolus Borromæus de-

creto suo cavit, ne sponsi essent una, neve inter se colloquerentur, atque adeo viderent antea, quam sacerdos matrimonii eos nexu conjungeret; metuens, ne interea vitiosum quidpiam colligerent, in quo Deus maxime offenderetur. placuit tamen, hoc se invicem adeundi salutandique officium, antequam mulier in viri manum conveniret, ad ipsorum parentes novos affines pertinere. quod autem mos hic, de quo loquimur, pravus sit, Deoque ingratus, exempla interdum in eos edita, qui illo utuntur, satis ostendunt. atque in eis, quæ ob hanc caussam, omnium maximo supplicii genere comprehensæ sunt, virgo quædam Anconitana numeratur, genere & forma satis splendida; hanc amabat adolescens quidam, & illa illum contra; nec cessabant, inter se aspicere, colloqui, & plura etiam his facere, quibus amor significari mutuus solet, neque ad alium finem, nisi ut tandem connubii lege devincti, ætatem agerent simul. erat virgini frater germanus, cui erat hic amor sane molestus, non id adeo, quod ex eo suæ & familiæ existimationi aliqua dedecoris nota inureretur; etenim mos civitatis ab omni eum suspicione infamiæ vindicabat; sed quia, si futuræ fuissent nuptiæ, virgini numeranda dos erat, quam ægre patiebatur à se divelli. itaque simulans, totum eum amorem in suum dedecus redundare, imperat sorori, ut eo desistat, & suam cum adolescente consuetudinem distrahat. virgo, quæ sibi esset conscia, nullum famæ existimationique periculum metuendum esse ab eo amore, qui nihil nisi nuptias, rem videlicet honestam sanctamque, spectaret, neque esset nescia, quid metum illum fratri conflaret, ejus dictum ac minas nauci non fecit, sed adolescentem amare ac colere studiosius cœpit. hic ille pulcram, virginis opprimendæ, dotisque, quæ illi debebatur, lucrandi occasionem se esse nactum existimavit; neque eam dimisit. nam simulans, se esse illi iratum, quod in eo, quod imperaverat, sibi minus præsto fuisset, die quodam, exeuntem illam domo, pugione prosecutus est, multisque vulneribus confossam reliquit. neque tamen sanguine, qui largiter effluebat deterrita, abjecit animum virgo, sed regrediens domum, pugionem, quem frater lateri

ipſius infixum reliquerat, ſuapte manu extraxit, ac totam ſe medicorum poteſtati permiſit; qui quamvis magna eam cura curaſſent, non potuerunt tamen morti præripere. nam lethali febre correpta, ex vulnerum gravitate coorta, diem obiit extremum; ac fuit virginibus exemplo, ne per eam rationem viros quærerent, quos ſibi in matrimonio conjungerent, quæ gravem Dei offenſionem haberet adjunctam. quanquam enim impie frater egit, licentia tamen virginis nimia fuit, nec profecto immunis à peccato, pœnam promerito.

CLXIII. *Hoſpitum uxores violandas non eſſe.*

MVlta, apud veteres, violati hoſpitii exempla numerantur; ut de Paride, qui à Menelao, regali cultu & magnificentia, hoſpitio exceptus, Helenam uxorem ejuſdem, per ſummam ab eo perfidiam ac nefas, abduxit; unde tanta malorum Ilias, Trojæ, quo ea fuerat perducta, manavit. ſic Theſeus Ariadnam, hoſpitii, totque in ipſum aliorum ab ea beneficiorum immemor, deſerto in litore relictam, decepit; ſic Demophoon Phyllidam, ſic Iaſon Medeam, hoſpitii jure violato, corrupit. longum eſſet omnes referre, quos in exemplum violati hoſpitii, vetus ac noſtra memoria protulit, quibuſque ea fraus male vertit. quamobrem, omiſſis cæteris, uno tantum oratio noſtra definietur, cui magno ſtetit, voluiſſe hoſpitis uxorem ad nequitiam adducere; neque ea abibit longius, ſed in ea Vrbe continebitur, in qua verſamur. Venerat Anconam mercator quidam locuples, ſuarum mercium diſtrahendarum cauſa, atque hoſpitio diverterat apud hominem ejus civitatis nobilem, qui habebat in matrimonio, ætate integra ac præſtanti forma, mulierem. hæc, ut regionis illius fert uſus, & quia mercator magnam vim auri & argenti ſecum attulerat, viro non invito, omnibus in rebus illi aderat, una ſecum erat, iiſdem conviviis, iiſdem poculis utebatur. quæ mulierum cum externis viris liberius vivendi conſuetudo, quam non longe abſit à flagitio, plena eſt exemplorum hiſtoria. in quo Græci ali-

ci aliquanto melius, quam Latini, matrumfamilias ac virginum pudicitiæ famæque consuluisse visi sunt, apud quos nefas erat, mulieres primum locum ædium tenere, in celebritate versari, in convivio virorum accumbere, nisi propinquorum, aut uspiam quam in interiore ædium parte sedere, quo nemini, nisi propinqua cognatione conjuncto, esset aditus. contra nunc, apud plerosque, comitas habetur, perpeti, uxores suas, ac nubiles filias, in conventum virorum venire, sermones de rebus lubricis & inutilibus cum illis habere, frequens convivium inire, alea ludere, ac multa alia facere, quibus libidinis ardor excitetur, impudentia corroboretur, mores boni depereant. quid mirum est igitur, si mercator ille, suavissimis hospitis nuptæ moribus delinitus, consuetudine illectus, pulcritudine captus, in illa exarserit? verum quia fieri vix potest, ut amatori mutuum in amore non fiat, neque eventus ex sententia succedat, præsertim si tempus & occasio ei rei operam dent; accidit, ut brevi mulier mercatori omnibus in rebus morigera fieret, & quamvis summam uterque daret operam, ut ita furtivum illum amorem clam virum haberet, ut ne quid illi unquam suboleret, tamen non potuerunt id assequi. nam, qua ille erat sagacitate, primum odore aliquo, ac leviter presso vestigio, deinde palam & aperte, ad intimum ejus amoris cubile pervenit. & quia jam pridem, ad aurum hospitis, oculos adjectos, & in eo mentem intentam, ac defixam cogitationem habuerat, quemadmodum honeste eo illum interverteret, optatum negocium sibi in sinum delatum esse gavisus est, & rationem se invenisse existimavit, qua jure hominem auro & vita spoliasse videretur. itaque, fortasse non sine conscia uxore, quæ ipsa quoque, pro innata mulierum generi avaritia, auro inhiabat, manifesto in flagitio deprehensum, obtruncavit. atqui cogitaverat quidem, ut diximus antea, se lege defendere, quæ mœchos manifestarios à viris occidi non prohibet; tamen unus est illi scrupulus injectus, ne aurum ab ipso, cujus illum magnam vim Anconam deportasse constabat, repeteretur, & cum nollet referre, veniret in suspicionem furti, atque omnium esset opinio occidendi homi-

hominis causam non adulterium fuisse, sed prædam. quamobrem in cella vinaria foveam, quæ mortui hominis corpus caperet, fodit, in eaque extinctum collocavit, & supra tellurem injecit. verum cum mercator nusquam conspiceretur, neque cuiquam esset dubium, si interemtus fuisset, quin cædes ab ejus domo orta esset, ad quem ille divertisset, hæc suspicio injecit magistratibus curam, perquirendi inveniendique, quid homini accidisset; atque hospitis familia in quæstionem vocata, ab eo illum occisum, & in cella vinaria sepultum, quod uxori stuprum intulisset, compererunt; & quamquam magnam hospes culpam commisisset, tamen judices mitius cum eo agendum esse existimarunt, quod se famamque suam ab existimatione hominum vindicandi causa delapsus in eam esse diceretur. neque ita multos post annos, re cum fisco composita, ab exilio, in quod, pœnam capitis metuens, sponte confugerat, est revocatus in patriam.

CLXIV. *Qui libidinibus se constringendum tradidit, ad omne nefas ab illis deferri se sinit.*

NIhil est, quod tam cujusvis intersit, quam statim ab ineunte ætate domitas habere libidines, & coërcitas rerum omnium voluntates; quas nisi quis ab initio teneat, & rationis imperio cohibeat, eo deinceps ab illis abreptus abstrahetur, unde non sit ei liberum emergere, & ad frugem redire; immo eo redigetur, ut nullam legem tenere se putet. quid autem ille non audeat, qui omnia sibi licere existimet?

Fuit paucis ante annis Romæ vir quidam, non summo ille genere ortus, sed ingenio atque opibus, si iis honeste uti voluisset, non exiguis, neque vulgaribus; quibus rebus fretus, non dubitavit ad Remp. accedere, à qua repulsam non tulit, sed humaniter est receptus, atque in eorum relatus numerum, qui à supplicibus libellis referendis, Referendarii vulgo nominantur. quod munus cum egregie administraret, magnum apud eos, qui rerum potiebantur, docti, strenui, atque prudentis

viri nomen sibi pepererat; atque processisset honoribus longius, si iter, quod instituerat, persequi, neque latam voluptatum viam inire voluisset, quibus voluptatibus ita se depravandum corrumpendumque tradiderat, ut familiares opes, quas alea ac ventre perdiderat, brevi deficerent, & quo munus suum recte tueri posset, necesse haberet æs alienum grande conflare. sed in iis, à quibus fœnori pecunias acceperat, vestiarius quidam erat, qui præter pecuniam, quam fœneri dederat, magnam illi vestium vim, credita pecunia vendiderat, sed cum dies solutionis, non solum advenisset, sed multos jam menses præteriisset, neque, cum sæpius peteret, præter spem & promissa, quidquam ab eo referret, cœpit, flagitator acer atque molestus, quotidie illum obtundere atque enecare; cui cum nihil esset, quod daret, nisi verba, venit in mentem, odium illud à se dolis dimovere. quos cum satis instructos in corde haberet, die quodam, à prandio, misit, qui suis illum verbis evocaret, quod paratus esset, sortem illi ac fœnus, ac quidquid præterea pro vestibus deberetur, exsolvere. hoc ille nuncio, plus quam dici potest, exhilaratus, advolat, ventis atque avibus citius; intromissus, accipitur à debitore humaniter, qui, Nihil tibi, inquit, erit amplius in me moræ, jam tuum accipies; interim mihi syngrapham tuo chirogrpapho scribe, qua fatearis, tibi solutam rem esse, caveasque, amplius eo nomine neminem, cui petitio sit, petiturum. ille, qui nihil metueret, neque quidquam sibi longius videretur, quam dum argentum acciperet, statim syngrapham, in eas quas ipse postulabat leges, exscripsit; qua ille accepta, vestiario, Abi, inquit, hinc domum, redito huc post quartum circiter diem, tum argentum non morabor, quin feras; nunc enim non est mihi operæ; negociosus sum. ille, qui cum argento, se domum reversurum existimaverat, tum demum in insidias se devenisse cognovit, ac magna voce, Circumvenior, ait, tuam fidem Deus; vel mihi argentum, vel syngrapham redde; ne, si judex hac de re sit capiendus, rem mihi solutam esse, meo chirographo vincas. tum ille, iratus, Itane, impure, tibi idoneus videor, qui creditum abjurem, qui te dolis decipiam?

piam? enimvero hoc non eſt ferendum; eductoque pugione, miſerum illum, nequidquam Dei atque hominum fidem implorantem, multis vulneribus confoſſum, ad terram abjecit. hoc tam ingenti facinore perpetrato. non parum commotus eſt animo, atque in Ædem ibi proximam fugit, metuens, ne, re patefacta, à prætoris cohorte corriperetur, & in carcerem conderetur, ut inde eductus, & ad carnificem datus, pœnas, tanto ſcelere dignas, morte perſolveret; ſed cum poſtea, ad ſe ipſum rediens, animum ad cogitandum inſtituiſſet, putavit, cauſam ſuam expeditiſſimam fore, ſi judicibus probaſſet, ſe, non ſolum provocatum, ſed vi, atque adeo capillo, ut dicitur, abreptum, ad injuriam, ab homine nequiſſimo ſibi factam, vindicandam, fuiſſe abſtractum, qui multis verborum contumeliis, atque eo homine indignis, quem Princeps in illo honoris gradu collocaſſet, auſus eſſet negare, eam ſibi pecuniam enumeratam fuiſſe, cujus à ſe acceptam ſyngrapham, ſuo chirographo ſcriptam, poſſet oſtendere. qua defenſione, pro certo exiſtimabat, & mortis periculum à ſuo ſe capite poſſe propellere, & multa aureorum centena lucrari. verum, ut plerunque ſtulta ſunt hominum conſilia & inanes cogitationes, res aliter cecidit. nam cum uxori veſtiarii de viri ſui interfectione eſſet allatum, ſuſpicans id, quod erat, nummos, qui debebantur, neque aliam cauſam, hanc illi mortem confeciſſe; hoc repentino calamitatis ſuæ commota nuncio, ita ut erat, diſcincta veſte ac paſſis crinibus, ad principes civitatis, quibus erat, ob vicinitatem aliaſque neceſſitudinis cauſas, nota, accurrit, ac magnis vocibus deplorat viri ſui interfectionem, orbitatem filiorum queritur, viduitatem ſuam, familiæ exitium atque ruinam lamentatur; clamat, vociferatur, ob pecunias creditas, ſi repetantur, interfici homines, liberos orbos parentibus fieri, matresfamilias in viduitatem, in ſolitudinem, dari; orat, obſecrat, ut tanti facinoris reus, in carcerem, in judicium, in ſupplicium rapiatur. illi permoti, mandant prætori urbis, ut illum confeſtim in carcerem condi, in reos referri, atque ex vinculis dicere cauſam curet; qui ſtatim dicto audiens, jubet hominem, qui animo ocioſo ac libero do-

mi sedebat, in carcerem duci, ut, quemadmodum sese res habeat, per quæstiones ac tormenta perquirat. hinc licuit intelligere, quanta veritatis vis sit, utque nihil sit miserius animo hominis conscio. nam, cum posset ita causam instituere, ut antea excogitaverat, ac multa tacendo, multa negando, leviorem suam pœnam efficere; nihil tamen inficias ivit, nihil clam habuit; sed omnia, sicuti erant gesta, narravit. itaque, post longam ac diligentem causæ cognitionem, judicum sententiis damnatus est, ut securi feriretur. illud vero ordinis, cui erat adscriptus, honoris gratia, datum illi est, ut non totum diem, quemadmodum fieri solet in aliis, qui supplicio afficiuntur, sed ad breve nescio quod tempus, populo ad visendum pateret, ac statim sepultura afficeretur.

CLXV. *Prudens mulieris, morti jam proximæ, famæ & saluti animæ suæ recte prospiciendi ratio.*

CVm omnibus indicta lex est innocentiæ, præceptumque, ut libidines suas teneant, ne turpiter in aliquo flagitio labantur, tum mulieri in primis nuptæ, lex ista statuitur, cujus vetiti concubitus, præter Dei offensionem, & legitimi tori injuriam, quam continent, longius progrediuntur, atque in aliorum damnum & incommodum recidunt. etenim cum alteri viro nupta sui copiam corporis facit, si quid ex eo compressu conceperit, & in lucem ediderit, cum ignoretur, liberis illud ex marito susceptis, se infert ac miscet, ac paternorum eorundem bonorum, quasi fundi cujusdam calamitas, quod ipsos capere oporteret, intercipit; cui rei nisi interea prospectum aliquid sit, mulieris, quæ tantum dedit damnum & malum, salus æterna in summum discrimen adducitur. verum majoribus res hæc periculis ac difficultatibus implexa videtur esse, quam ut, egregia sapientis cujuspiam opera, expedita reddi possit ac certa. mirum tamen nobilis cujusdam fœminæ, ex illustri in primis ac celebri Italiæ oppido, in ea explicanda, consilium

filium apparuit; quod haud ſcio, an ſapienti cuipiam ex illis, qui numerantur in ſeptem, veniſſet in mentem. hæc genere, ætate, ac forma inſignis, ad juvenis cujuſdam pulcritudinem, qui ipſius erat cupiens, exarſit; cumque libidinis, qua intus flagrabat, æſtum ferre non poſſet, dedit operam quam occultiſſime, ut cum eo eſſet, ſuamque ex eodem voluptatem expleret. ſed accidit, ut ex ejus complexu gravida fieret, & quia poterat id, quod natum eſſet, ad virum, cui nupta erat, referre, ſtatuit illud tollere, & una cum ceteris liberis alere. verum, cum multos poſt annos, gravem in morbum incidiſſet, eoque in dies ingraveſcente, ad ultima jam ventum eſſe ſentiret; quo æternæ ſuæ ſaluti proſpiceret, & filio, quem ex adulterio ſuſceperat, provideret, ne inopia coactus emendicaret, morti jam proxima, convocatis filiis, ejuſcemodi verba habuit. Mihi, ut videtis, finis vitæ jam adeſt; itaque, nihil faciendum eſt prius, neque diligentius, quam ut æternam meam ſalutem, quoad ejus fieri poteſt, in tuto conſtituam; quod fieri non poſſe aliter video, niſi meum vetus flagitium, quod adhuc clam omnes habui, vobis aperiam. ideoque huc vos convocari, ac, remotis arbitris, claudi cubiculi oſtium juſſi, ne quis fortaſſe, cum auritis plagis, rem omnem aucupetur, & non ſine mea ac veſtra infamia, in publicum proferat. ſed amor mihi meus, quo vos univerſos ſemper ſum amplexa, quoque vos inter vos amari ac diligi animadverti, magnam ſpem facit, ut conſilium, quod datura ſum vobis, non aſpernemini, ſed æqui bonique faciatis. cumque filii, ſe ita eſſe facturos, ac, ne latum quidem unguem ab eo, quod ipſis juſſiſſet, diſceſſuros, reſpondiſſent; incipit illa, Ego, etiam tum adoleſcens, & ætatis ardore, & amoris vi, cui obſiſti non poſſe videbatur, impulſa, cum alieno viro rem habui, (jam enim pudorem, quo antea deterrebar, abjicio,) ſed, quod minime opus erat, concepi, ac, nono poſt menſe, quod conceptum fuerat, peperi; ac veſtro hoc numero continetur; atque etiam indicabo, ſi placeat. tum illi, re improviſa percuſſi, mirari, inter ſe aſpicere, matrem, ne id faceret, orare, tum mutuis ſe amplexibus implicare, polliceri unuſquiſque, & ſuam

in eo fidem jurejurando obligare, bona inter ipsos patria, non aliter nisi peræqua parte viritim, fore dividenda. quibus illa auditis, vehementer gavisa est, Deo laudes dixit, voluntati illorum gratias egit, postremo sublatis iis, quæ mortem illi insuavem reddebant, æquissimo animo debitum naturæ persolvit.

CLXVI. *Atrox adolescentuli, in domo virginis deprehensi, cædes.*

QVantum damni maliqne afferat, quantamque ad convellendas deturbandasque quamvis veteres, atque altis nixas radicibus sanctitates, vim habeat mulierum, improbarum præsertim, vicinitas, ille toties, omnium linguis atque literis usurpatus Davidis Regis casus prolapsioque demonstrat. etenim cum esset exemplum innocentiæ virtutumque omnium, cum nullum spectaculum illo gratius haberet Deus, si oculos ad res humanas convertere voluisset, continuo ex illo sanctitatis culmine, unico vicinæ mulieris aspectu, dejectus est, & ad duo maxima & ingentia scelera atque flagitia, præcipiti lapsu, devolutus. verum cum omnes, qui vicinarum formis contemplandis, paulo licentius, oculis tanquam habenas remiserint, in eas plagas incidant, unde se expedire vix possint, tum adolescentes præsertim, se multo facilius in eas induunt, & arctioribus nodis implicant, quorum ætate fluxus animus, & parum ad consistendum firmus, paulo momento huc illuc impellitur. Novum est quod referam, & hoc eodem anno & mense, quo hæc scribimus, exortum. erat Romæ adolescens, annos sedecim natus, ex humili quidem genere, sed ingenio ac moribus haud illiberalis; nam, patris diligentia, cui erat unicus, bonis erat artibus, sed musicis in primis, eruditus; ac satis jam scite eleganterque voce ac fidibus canebat. atque, ut initia se dabant, magnam spem omnibus ostendebat, fore, si vita suppeditasset, ut cuivis, canendi artificio, par fieret. hic habitabat, cum patre, modicis ædibus, è regione earum, ubi pullarius pullos suos venales habebat.

erant pullario filiæ virgines nubiles duæ, quarum una adolescentulum illum, quia forma erat non mala, & ipsi allubescebat, & musicæ artis peritus, interdum noctu occentabat ostium, cœpit perdite amare, ac primum aspicere, tum nutare, nictare, & amorem illi suum per literas significare, atque ita impudenter & aperte hæc omnia facere, ut vicini in iis omnes graviter offenderentur, & adolescentuli ipsius parens pullarium, virginis patrem, non semel adierit, monuerit, rogaverit, ut filiæ pudicitiæ, vel, si ea, familiarium custodia, satis tuta esset, saltem famæ consuleret, ne ubi eam dare nuptum vellet, hæc fama, quæ interdum plusquam crimen ipsum nocet, nuptiis obstaret; proinde eam castigaret, corriperet, objurgaret, omnesque ad fenestras aditus, unde esset prospectus in viam, patrio jure & potestate, prohiberet; se idem cum filio acturum, quamvis majorem diei ac noctis partem, domo abesse contingeret, utpote qui suas operas cocus alteri locatas haberet, nec semper observare posset, filius quid ageret suus. hæc sæpe cum illo severe & graviter locutus est; sed inanem operam sumpsit: nam pullarius, sive negligentia, sive qua erat in liberos indulgentia, criminationem illam à filiæ moribus alienam existimans, verbum illi ea de re nullum fecit. unde majores illa animos sumpsit. & ad suos amores persequendos, multo est alacrior effecta. sed non fuit illi magnopere laborandum, ut adolescentem, imperitum rerum, ejusmodi in palæstram attraheret, ubi dedecore depugnatur & damno. in qua, usque adeo se impigrum præbuit, ut virginis etiam in amando sedulitatem diligentiamque anteiret. nunquam fere ille è vicinia pedem efferre, pro domi suæ foribus vel stare vel sedere, ad fenestras, ubi illa ipsi operam dabat, fere semper oculos conversos habere, literis misere ad eam scriptis, quas amor habet molestias, lenire. cui tandem illa fuit autrix, ut scalas pararet, eaque nocte, quæ D. Laurentii pervigilium consequeretur, domi ipsius parietibus admotas, ascenderet; se enim, ad fenestram advenienti præsto futuram. hæc cum ille ex præscripto prosecutus esset, & ab ea domum intromissus, factum est, sive casu sive dedita

opera,

opera, ut illac juvenis quidam transiret, paululum virgini cognatione adnexus, sed qui misere eam deperiret, quique jam diu adolescentis, cui ob zelotypiam erat infensus, opprimendi occasionem aliquam aucuparetur; & scalas intuens, suspicatus est, eas, quasi machinas ad expugnandam virginis pudicitiam, fuisse ab adolescente collocatas; statimque removit, ac secum abstulit. sed cum adolescens vellet reversionem facere, omnem sibi exeundi facultatem fuisse sublatam vidit, & ingemuit, suæque vitæ pertimuit; sed à virgine, cum jam dies appeteret, inclusus est in armarium, ibique totum diem S. Laurentio sacrum, sine cibo delituit; vespere autem, cum virgini spes esset, se posse eum aliqua clam foras emittere, armarium aperuit, unde miser adolescens, parum caute, nec sine strepitu exiens, rivali, qui erat in insidiis collocatus, indicium fecit; qui accurrens, & tanquam cognatus, ut illatam generi injuriam ulcisceretur, ferro impetum in eum fecit, & sex ac viginti plagis confossum ad terram abjecit; in quo cruentum & inexpiabile odium, & plusquam ferinam rivalis hominis rabiem, licuit aspicere, quam nulla sanguinis illius exsorbendi satietas caperet, neque in misello corpusculo locum relinqueret, ubi rursus ferrum infigeret. ut dictum sit à sapiente divinitus, *Dura sicut infernus æmulatio*, quod obtrectatoris acerbitas, rivalis cruciatibus perinde non possit expleri, ut orci crudelitas, damnatorum pœnis, nunquam fit mitior atque remissior.

CLXVII. *Mulier vicinum, quem amabat, abeuntem in Galliam, simulata insania ac morte, prosequitur.*

PErpetuæ insidiæ, quas humani generis hostis, minus ad cavendum paratis, struere in vicinitatibus solet, hortatur nos, ut complures, qui per hanc rationem sint capti, enumeremus. Atque cum omnis vicinitas huic ejus quasi aucupio apta sit, ea tamen, quæ ex villarum propinquitate contingit, longe aptior existit; nec immeri-

merito. nam & camporum viriditates, avium cantus, decurrentium aquarum murmur, dulcis, obstrepentis auræ, sibilus, frigidulæ virentium silvarum umbræ, si sit quod amemus, prope nos ad nequitiam videntur attrahere, vel saltem ad omnem animi remissionem ac ludum impellere. itaque cum juvenis quidam, nobilis in primis, in Italiam è Gallia venisset, seque in patriam contulisset, cognatos propinquosque omnes, quos erat aspiciendi cupidus, quoniam æstas erat summa, & calores maximi, ex urbe, ut est mos illius regionis, rus commeasse invenit. quamobrem ipse quoque rus abiit, ubi, non solum à cognatis, sed à vicinis etiam est humaniter ac peramanter exceptus. in quibus matrona quædam fuit, nobili genere natá, forma in primis bona & eleganti. hanc ille, simul aspexit, adamavit, & usus occasione, quam regionis mos dabat; nam concessum est ibi, ut viri mulieribus alienis se immisceant, sermones cum illis conferant, in ambulationem veniant, convivium incant, ludant; hunc igitur morem secutus, non sibi deerat, sed frequens, ubi illa aderat, esse, nullaque ejus tuendæ satietate expleri; quæ adeo nihil ad ejus amoris æstum levandum mitigandumque pertinebant, ut ampliorem etiam ac vehementiorem efficerent, eumque cogerent, primum oculis, vultu, tum cum minus illa animadverteret, vel simularet se non intelligere, literis nunciisque significare; sed nihil proficiebat; nam mulier constanter & literas & nuncios rejiciebat. sed quia nullum est oppidum tam munitum, quod longa tandem obsidione non expugnetur, tundendo atque odio assecutus est, ut ea paulo mitiore uteretur; deinde perfecit, ut nihil illi se ipso carius exsisteret. ne multa, ita totum mulieris amorem suum fecit, ut nullam ejus illi partem relinqueret, quam in virum, liberos, ac rei familiaris curam divideret. sed mulier, qua erat sagacitate atque prudentia, ita clandestine ac caute rem totam agebat, ut nihil unquam cuiquam subboleret. verum hanc mulierem amabat, ut cum maxime, tum juvenis, & illa illum contra; cum nuncius è Gallia venit, qui eum illuc magnopere evocaret, quod ejus patruus, amplissima præditus dignitate, cessisset è vita.

quod

quod cum mulieri multis cum lacrimis enarrasset, illa quoque vim lacrimarum dedit, & dolorem, quantum maximum animo capere potuit, accepit; ex quo cum paululum se collegisset, Dic, ait, obsecro, si ad te in Galliam venero, tuæne mihi domus fores patebunt? cumque ille annuisset, immo nihil sibi in vita jucundius accidere posse affirmasset, quam ut cum ea ætatem ageret, mulier læta, Abi, inquit, atque istuc Deus iter tibi fortunet; ac me illuc, ubi tu futurus eris, expecta. ne multa; proficiscitur ille, in Galliam venit, ac mulierem certiorem per literas facit, quam in urbem Galliæ pervenerit, quamque in domum diverterit. at ea, non statim, sed aliquot post menses, ne quisquam suspicari posset, juvenis, qui abiisset, desiderio id sibi contingere, insaniam simulat, facitque ea omnia, quæ faciunt ii, unde mens omnis & ratio discessit. credit vir ac domestici omnes. sed quo facilius curari posset, ac ne vicinis atque adeo populo fabula fieret, rus ducunt, ac curandam medicis tradunt, familiariumque custodiis, ne quid sibi vel alteri noceat, obsepiunt. sed postquam satis sibi insanisse visa est, nihil amplius esse opus stultitia, sed ratione utendum existimavit; si ratio appellanda est, quæ sit inimica rationi, quæ Dei injuriam habeat adjunctam, quæ divinarum humanarumque legum claustra perfringat, quæ contra æternam animæ salutem veniat. ergo sibi mentem rediisse fingit, seque penitus in veterem sanitatis locum restitutam ostendit. quamobrem, qui eam vinctam asservabant, è vinculis eximunt, ac sinunt libere abire, quo velit. at illa, die quodam, ceteris in templo rei divinæ operam dantibus, cum domi sola esset, multas struices concinnat lignarias, ac supra, mortui cujusdam cadaver, quod duorum, quos sibi fidos fecerat, opera effoderat, imponit, & igni comburendum tradit; tum amiculo ejus generis induta, quo in sodalitiis confratres utuntur, cujus cucullus, à capite ad os decidens, totum os contegit, inter illos duos, quos sibi obnoxios fecerat, eadem veste indutos, mediam in urbem se confert, & cum nox advenit, una cum illis, citato equo, in Galliam contendit. at familiares, è re sacra redeuntes, ac pyram,

ram, una cum ossibus, ardentem inspicientes, pro certo existimarunt, mulieris fuisse illud opus, quæ, furore percita, incendio vitam finire decrevisset; neque aliquam in ea, quam mortuam esse credebant, perquirenda operam sumpserunt. tantum tamque atrox à vicinitate illa profectum est nefas. sed multos post annos auditum est, eam usque ad annum quintum & septuagesimum vitam produxisse. verum, utrum eam facti pœnituerit, pœnisque ultro susceptis, ejus maculas eluerit, an non, certum sciri non potuit.

CLXVIII. *Mulier nupta, vehementissimis à dæmone tentationibus oppugnata, mori maluit, quam illis assentiri.*

QVamvis nullum ex vicinitate flagitium consequatur, vix tamen fieri potest, quin ex mutuis virorum mulierumque obtutibus, ex frequenti consuetudine usuque, vetitæ impuræque cogitationes multæ exoriantur, quæ lethale animæ vulnus infligant. etenim cum, in animo constructæ, ab oculorum judicio removeantur, neque aliquod famæ & existimationi dedecus vel damnum inurant, difficile est assensionem ab illis nostram cohibere, quibus tandem, si nos assentiri contingat, etiam ante effectum operis, quantum culpæ satis est, absolutum atque perfectum est scelus atque flagitium. neque sibi quisquam polliceatur, fore se ab impuris cogitationibus immunem ac liberum; nam eas invitis etiam nobis ac recusantibus, à dæmone injici, facile intelliget, si velit in sanctorum hominum, ac virtutum omnium principum, vitam inspicere. inveniet enim, alios, quo impuras cogitationes, quibus acriter oppugnabantur, ab animo propulsarent atque repellerent, toto se corpore in spinis ac vepribus volutasse, ut videlicet voluptas, quæ ab illis cogitationibus prodibat, corporis dolore cruciatuque expelleretur; alios, sæviente hyeme, in rigentes frigoris vi aquas sese mersisse, ut eo rigore ardorem concupiscentiæ, quæ in illis effervescebat, extinguerent. Verum ex iis, qui nostra

tempeſtate magno excelſoque animo præditi, cupiditatibus ſuis fortiter acriterque obviam ierunt, mulier nobilis, nobili item viro nupta, egregium ex ſe facinus edidit, dignum, ut, in exemplum ſimilis virtutis, omnis poſteritatis memoriæ rradatur. hæc cum vehementiſſime ſe commoveri ſentiret in adoleſcente, quem vir ſuus, vicinitatis jure, arctiſſimo ſibi familiaritatis nexu conſtrinxerat, quemque domum ſæpiſſime adducebat convivam ſibi, cumque Deum vereretur ac metueret, & exiſtimationis in primis bonæ cupida eſſet, nolebat flagitii quidquam cum illo committere, neque impuris illis cogitationibus aſſenſionem præbendo, animæ ſuæ nitorem inquinare. itaque dabat operam ſedulo, ut ſuo ab animo, quantum poteſt, eas abigeret. verum cum adoleſcens omnibus fere horis ipſi eſſet in oculis, adeo ejus imaginis formam ex animo non delebat, ut eidem etiam altius infigeret. quæ res tantum miſeræ conflabat ardoris, ut jam pene mortem eſſe in propinquo ſentiret, niſi induceret animum, id quod ipſa minime volebat, cupiditati illi morem gerere. reſtabat aliud nihil, niſi, ut virum, quanta maxima vi poſſet, oraret, vel ut amicitiam cum adoleſcente dirimeret, vel à domo ſua eum ſaltem procul haberet. id quod illa fecit diligentiſſime. ſed vir, ſuſpicione offenſus, rogavit, num quam ille pugnam ipſi dediſſet, vel ſaltem, num quod animi minus erga ipſam honeſti & continentis ſignum oſtendiſſet. quod perſancte negavit; ſed cupere ſe, ait, ſermones iniquorum effugere; vereri enim ſe, ne illi objicerent lenocinium facere, quod, cum habeat ætate integra domi uxorem, ad eam forma bona adoleſcentem commeſſatum intromitteret; in quo etiam exiſtimatio ſua, quæ vita ipſa ſibi eſſet carior, periclitabatur. cui ille, Quandoquidem, inquit, nihil tibi ab eo moleſtiæ infertur, ſermones hominum flocci non facio; dicant quod lubet; ego ut animo meo libitum eſt faciam. qua oratione, miſera, de ea ſpe, quæ ultimum ac ſolum morbi ipſius remedium eſſet, ejecta, animum deſpondit; cumque in dies ægritudo fieret amplior, in tabem incidit. ex qua cum ſibi moriendum eſſe intelligeret, literas ſuo chirographo ſcripſit obſignavitque, quas confeſſa-

fessario, rei totius conscio, traditas vetuit, ante suum è vita discessum, aperiri. quod cum postea factum esset, inventum est scriptum in eis, se, naturali quadam vi cogente, eatenus in adolescentem illum, quem vir suus domum adducebat, fuisse propensam, ut, cum vellet cohibere libidines suas, ne erumperent, seque in illum effunderent, eum in locum fuisse adductam, ut aut moriendum esset, aut illis obtemperandum; sed maluisse vitam amittere, quam deditionem facere, idque nulla impulsam re alia nisi, ne Deo injuriam, generi contumeliam, castitati labem inferret. quod cum esset auditum, adeo omnes, qui aderant, in admirationem extulit, ut clamarent, ac faterentur, mulierem illam, castitatis pudicitiæque exemplum, non unum è multis, sed propemodum singulare existere.

CLXIX. *Infelix trium liberorum exitus, quos parens, ob interfectam ab ipsis novercam, omnibus precibus devoverat.*

QVam fœde filiis res illis eciderit, qui suis parentes injuriis impulerunt, ut se devoverent, atque omnia ipsis mala deprecarentur, aliquot improborum filiorum exemplis, quorum insignis in parentes improbitas, scelere juncta, exstiterat, supra satis ostendimus: verum quantam hæc devotio vim in eos habeat, quibus jure parens maledixerit, satis hac nostra memoria factum est pelam in tribus, qui facinus atrox ac sævum, in summam parentis injuriam, admiserant. hi Romæ, in urbe totius Italiæ multo maxima ac celeberrima, in amplissima familia nati, & corporis proceritate, oris elegantia, atque animi virtute, ceteris concivibus suis, qui una essent ætate, longe multumque præstabant; sed non minor illis superbia inerat. nam cum parens suus, priori uxore defuncta, alteram duxisset, nobili quidem loco domi suæ natam, sed fama non integra, quod Prorex Siciliæ, qua in insula illa nata erat, à parentibus abductam vitiasse diceretur; id ægre illi tulerunt, quod ex eo concubio non leve familiæ suæ dedecus inustum

esse arbitrarentur. verum ille, qui eximia mulieris pulcritudine, in qua mire exarserat, captus, non alia conditione ejus usuram corporis capere, nisi matrimonii lege, potuerat, eorum dicta neglexit. itaque irati, in novercam conjurarunt, & cum domo parens abesset, fistula displosa, nihil tale suspicantem, interemerunt. quod ubi parens, qui eam, ob singularem pulcritudinem atque alias animi dotes, unice diligebat, accepit, omnibus liberos precibus, quod tale facinus ausi fuissent facere, detestatus, vetuit sibi amplius in conspectum venire, ac magnifico eam funere efferendam curavit; quod ego funus, admodum adolescens ac pene puer, aspexi, cum undique innumerabilis hominum multitudo conflueret, ut tam formosæ, ut ipsi loquebantur, extinctæ pulcritudine, quæ etiam tum in ejus ore hærebat, oculos pascerent. res mira; malo ad unùm omnes letho interierunt; quorum primus, qui, præter formam, singulari virtute præditus erat, ob suspicionem stupri, principis uxori, in cujus aula versabatur, illati, dum Romam pergeret, in itinere occisus est; alter, cum virginis cujusdam dotatæ, quam etiam ob pulcritudinem deperibat, nuptias adamaret, eaque ipsi recusaret nubere, quod modicis opibus esset, fratrem natu majorem, qui itidem in novercæ necem consenserat, ad quem, utpote ad familiæ principem bona omnia redierant, veneno sustulit; quo crimine comprehensus ac convictus, magno suggestu, in medio foro, excitato, ob generis nobilitatem, est primum securi percussus, tum sectus in frusta.

CLXX. *Virgini, ab adolescente deceptæ, cui nuptiarum spe se vitiandam permiserat, vita ferro eripitur.*

QVemadmodum more fiat pessimo, Deoque in primis molesto, ut virgines adultæ, meritriciis prope artibus, loquacibus nimirum obtutibus, suavibus colloquiis, illecebrosisque blandiciis, adolescentes, qui modo ætate ex ephebis exierint, in sui ipsarum amorem concn-

conentur impellere, paulo ante significavimus. & quamvis hæc omnia dicantur fieri propter nuptias, quæ solæ sunt ipsis in voto, non tamen propterea se à peccatis, quibus implicantur, expediunt. quis enim sapiens, bonum illud sibi dari velit, cui malum accedat? verum quam sæpe amores isti cultoribus suis decoquant ac decollent, gravissima infortunia, ad quæ, tanquam ad saxa, sævis fluctibus feruntur, ostendunt. & quamvis, ex omnium fere seculorum memoria, plura repeti hujus rei exempla possint, unum tamen recens huc afferam, quod possit esse omnibus disciplina, ne dubia hac & incerta, ad secundos nuptiarum exitus, semita incedant, sed ea ad illos quæ trita est omnium itineribus via nitantur. Morem hunc malum, de quo loquimur, jam pridem Ianuæ, viri omnium nobilissimi præstantissimique missum fecerunt, quarum filias non antea sponsis aspiciendi alloquendique facultas datur, quam dotis tabulæ, & alia legitima, confecta sint omnia; verum morem eum adhuc retinent plebeji homines, ac minorum, ut ita dicam, gentium cives, iique in primis, qui plures habent filias, quibus honeste collocandis res illorum paupercula suppeditare non possit. nam filiæ eorum, aucupium virorum facere instituunt, quos in matrimonio sibi conjungant. atque erat quidam in iis, ex honesta, sed non admodum locuplete familia, qui neque in mercatura, neque in alienis negociis, quæstus faciendi gratia vertebatur, sed in re sua, quamvis non ampla, vitam ociose degebat. plures hic filias habebat, vafras, malitiosas, catas. ita enim sunt ibi mulierum fere omnium ingenia. earum unam amare occœpit adolescens, ejusdem loci atque ordinis, elegans, lepidus, ac venustus, magis joci ac fallendi temporis gratia, ut mos est ociosorum; (etenim ille tantundem erat ignavus atque iners, quantum parens industrius ac diligens, ob quas virtutes, à suis civibus diligebatur.) simulabat igitur, se eam amare magis, quo sibi risum atque ocium quæreret, quam quod aliqua ejusdem cupiditate flagraret; sed demum intellexit, quid esset periculi, cum amore colludere. nam paulatim, aspiciendo colloquendoque, tantum ex ea consuetudine, quam ludibundus inierat,

ardoris incendiique contraxit, ut partem ſibi viſcerum abrumpi ſentiret, quoties ab ea divelleretur. nec minor intus virginem ignis urebat; quo adeo æſtuabat, ut inſanire videretur, ac, ne malum longius ſerperet, parentes ipſius eam illi cum adoleſcente conſuetudinem ſint conati dirimere, ac mutuo illorum amori diſtractionem, diſſidium, & vaſtitatem afferre. ſed fruſtra; nam adoleſcens, qui diſcidium virginis ferre non poſſet, omni mente, in ea cogitatione curaque verſabatur, ut inveniret, quemadmodum virginis aſpectu atque colloquio oculos explere, ac ſaturare animum poſſet; & cum multa occurrerent, illud demum arripuit, quod audierat vel legerat, ancillas ſibi eſſe faciendas ſuas, qui primas ad dominam vias affectaret. itaque orando, aſſentando, largiendoque, aſſecutus eſt brevi, ut famulam, quæ erat virgini pediſſequa, cuſtos & janitrix, totam haberet in poteſtate, eique ſe ac ſuos amores commendaret. qua re ita virgo inceſſit omnibus lætitiis, ut cum voluptas animo non contineretur, foras erumperet; ac ſummum adoleſcentis in ſe amorem prædicabat, acumen ingenii laudabat, qui tam acute rationem, qua cum ipſa poſſet eſſe, reperiſſet; jamque nuptias animo devoratas habebat; ac noctu, famulæ ſuæ opera, dum parens altiori oppreſſus ſomno in lecto jaceret, de feneſtra adoleſcenti ſecum in via colloquenti operam dedit; tum ex vicinis ædibus propius ejus auribus orationem accepit; poſtremo auſa eſt etiam ſuam in domum illum excipere; quod diceret, eum locum tutiorem ac remotiorem ab arbitris fore. ſcitis, quid ſuadeat nox, amor, & occaſio; ſed non antea ſibi vim fieri paſſa eſt virgo, quam, præſente famula, jurejurando cautum ab illo eſſet, curaturum ſe, idque à patre impetraturum, ut quam primum domum ſuam nova nupta deduceretur: verum cum illi ſæpius eundem ludum luderent, contigit, ut mulier gravida fieret. tum illa vehementius, quam antea, orare, inſtare, urgere, ut nuptiæ fierent; promiſſi fidem, juriſjurandi religionem, in memoriam revocare, ipſius famam, familiæ exiſtimationem & decus, quod magnum, ex ſuo partu, quod latere non potuiſſet, vulnus eſſet accepturum, ante

te oculos ponere; qua ille oratione commotus, cœpit patrem orare, ut eam sibi liceret ducere. negavit parens, avidus pecuniæ, id se posse illi concedere; non enim è familiæ suæ re esse, mulierem, ita tenuiter dotatam, in eam dari; proinde cogitatione illa desisteret; nam se conditionem, multo illa, quam afferret, locupletiorem, unde maximæ ad ipsum divitiæ pervenirent, inventurum. adolescens, tanti spe lucri proposita, statim immutatus est totus, & contra fidem, contra jusjurandum, contra bonos mores, omnem ex se se de illa ejecit conjugis animum; cui, cum vitium inferret, tam sancte affirmaverat, se nunquam commissurum, ut non eam uxorem duceret, quæ suum ipsi animum, atque omnem vitam credidisset. quod ubi illa rescivit, continuo miseræ animus concidit; quæ, neque quid ageret, neque quo se verteret, neque consilii quid caperet, habuit; ac solicitam eam in primis habebat metus infamiæ, quæ in se atque in familiam refundenda esset, si clam patrem, sorores, atque adeo omnes, ejus partus evenire non potuisset. hæc ejus animum cura, magis quam Pentheum Bacchæ, ut est in fabulis, diripiebat, distrahebat, dilacerabat; jam corpus cœperat plenius apparere, atque in dies magis intumescebat; patris sororumque conspectum evitabat, Dei immortalis ac Sanctorum templa, & publicum omne, horrebat; nemo aderat, cujus fidei auderet clandestinum hoc infortunium committere, quique, si illud ei credidisset, rem ita dubiam, ita implicatam, docte, sapienter atque cordate reddere posset explicatam ac certam opera sua. Famula, criminis herilis conscia, ipsa quoque ex adolescentis servi compressu gravida, (nam dum domini erant una, illi etiam stupri societatem inierant,) antea quam quisquam se esse gravidam sentiret, è domo illa surripuerat se, ac longius abierat. itaque miseræ reliquum erat nihil, nisi ut se totam lacrimis ac dolori permitteret. jam eam omnis ventris occultandi ratio defecerat, quod præter modum inflatus ac tumidus, neque fasciis arcte obligatus deprimi, neque alio artificio oculis spectantium subripi poterat; ægrotationes, quarum inflatum illum conabatur excusatione defende-

re, nemini probabantur; interrogata quid esset, in respondendo, mire à se ipsa discrepabat. in has igitur angustias adducta, cum consilia omnia frigerent, tandem sororibus, rem totam diligentius exquirentibus, veram morbi causam aperuit; quæ incredibili re atque atroci percitæ, cujus infamia in ipsas immigrabat, & ubi voluisset eas parens nuptui dare, repudiosas suas nuptias factura esset, corripiunt sese, ad patrem excurrunt, & tantum domestici mali nuncium apportant; quo ille nuncio, dolore, quantum animo maximum capere poterat, affectus est; sed cum paululum ex eo se collegisset, & consilium cogitationum suarum advocasset, cœpit exquirere, quid in re tanta, optimum factu esset; cumque multa se objicerent, illud demum arripuit, ut summam daret operam, quo adolescenti filia nuberet. ita enim acceptum in existimatione damnum posse sarciri. itaque, de cognatorum omnium sententia, constituit, optimum esse factu, ad hominem cum primis honestum ac nobilem confugere, qui cum adolescentis parente, non exiguæ pecuniæ rationem habebat, ejusque, in tanta re, auxilium opemque deposcere. itaque hominem adit, injuriam ab adolescente filiæ suæ factam enarrat; quam posse sanari ostendit, si ille manere in eo, quod promiserat, vellet; orat atque obsecrat, ut patrem adolescentis, qui à nuptiis abhorrebat, oratione atque auctoritate sua, quæ plurimum apud eum posset, illis assentiri compelleret. respondet vir nobilis humaniter, se rem suscepturum, ac diligenter cum illo sermocinaturum, ac pro certo existimare, fore, ut pro rei æquitate, ac sua in illum auctoritate, tria inter ipsum & illum verba non essent commutanda; proinde bono animo esset, ac rem confectam haberet. hoc ille responso exhilaratus, tanquam si res esset in vado, omni animum cura exoneravit. venit igitur vir ille nobilis ad parentem adolescentis; rogat eum, pro sua fide ac diligentia, pluribus verbis, ne affinitatem sibi oblatam respuat, neque tam insignem honestæ familiæ notam, à filio inustam, hærere patiatur, sed filium sinat servare, in eo quod dixisset, fidem, nuptiasque, quas virgini pepigisset, rite persolvere. erat ille, ad

quem

quem ejusmodi orationem habebat, in magno ære alieno, contra in suis paucis nummis; quamquam ex negociis, in quibus vertebatur, quæ erant plurima, aliquam sibi locupletis hominis famam confecisset; quod æs alienum, ex dotatæ uxoris, quam filio invenisset, pecunia, se dissoluturum esse existimaverat; ideo neque ulla æquitate orationis, neque persuasionibus, neque precibus, neque nobilissimi illius viri auctoritate permotus est, sed totum illud postulatum causamque neglexit: verum vir ille nobilis, ita ab eo discessit, ut tamen rem illi omnem attentius ac diligentius considerandam expendendamque relinqueret. sed, jam temporibus exactis, nono post mense mulier pepererat. cognati, quod ex verbis viri illius nobilis, nullum de nuptiis dubitandi locum esse relictum, crederent, jamque eas palam divulgaverant, decreverunt, quod natum esset, domum ad adolescentem mittere; qui, paternis consiliis & admonitionibus imbutus, non modo illud recusavit accipere, sed suum non agnovit, quod mater cum aliis etiam rem habuisset; ac deferentibus inquit, ut properarent puerum tollere à janua. hoc nuncium, puerperæ cognatis allatum, ita eorum animos, qui alia omnia expectaverant, perculit, ut curriculo ad eum, quem sibi in hac causa patronum elegerant, exanimati venirent; à quo etiam acceperunt, adolescentis patrem ita obstinate eorum affinitatem repudiare, ut nullis neque admonitionibus neque precibus neque minis adduci posset, ut æqui bonique partem aliquam vellet; sed curaturum se, ut sui eum facti dictique pœniteret. neque ullam interposuit moram, sed statim ab eo creditas illi pecunias, in quibus negociabatur, exegit. unde cum errorem suum agnosceret, neque propositum haberet illum emendare atque corrigere, quod, quidquid fecisset, nihil ad collapsam suam existimationem sublevandam profuturum esse intelligeret, conjectus est in morbum ex ægritudine. at cognati mulieris, quibus nuptiarum spes omnis occiderat, nihil, nisi de referenda impuro adolescenti gratia, qui tam indignis eam modis ludificaverat, excogitabant; jamque semel atque iterum conati eum fuerant insidiis opprimere, sed non potuerant conata per-

 ficere,

ficere, quod ille, sibi metuens, vix unquam domo egrediebatur, nec sine advocatis audebat publico se se committere. sed mulier, cui magis quam ceteris acceptæ injuriæ dolor animum ad persequendam dabat, voluit experiri, num melius res sibi procederet. habitabat illa in ea urbis parte, quæ, quia paulo depressior est, Vallis clara appellatur; contra adolescens, quingentorum ab ea passuum intervallo suas in edito loco, Castello pusillo nomine, ædes habebat, ad quas mulier, hora noctis quarta, virili habitu, venit, pulsat januam, atque, Evocato mihi, inquit, aliquis domini filium; eo enim convento est opus. agnovit adolescens, qui una cum aliis ad fenestram accurrerat, notam mulieris vocem; sensitque, se paululum, ex veteris cum ea consuetudinis memoria, commoveri; eaque impulsus, non animadvertens, adventus illius causam, non ejus visendi studium, sed injuriæ ab ipso acceptæ ulciscendæ cupiditatem, existere, ad ostium se contulit, eique, Ecquid, inquit, ò mulier, esse dicam causæ, cur hoc noctis, & cum hoc ornatu incedas? ego, ait illa, quam paucissimis absolvam; venio exquisitum ex te, quid tibi sit animi erga me; num tibi semper sim futura ludibrio. &, cum lacrimis, ubertim ex oculorum fonte deductis, ac suspiriis alte petitis, cœpit suas illi miserias enarrare, in quantum propter ipsum parentis propinquorumque omnium odium contentionemque venisset, quam multis, omni populo, minus secundis de se sermonibus locum aperuisset, propterea quod ipse in fide, quam dederat, non stetisset; orabat, obsecrabat, ut se domo reciperet, ac promissi sui summam exolveret; quod, si nihil in ipso moræ fuisset, continuo, sedatis omnibus discordiis, cuncta essent in tranquillo futura. verum ille, propositi sui tenax, ex justis mulieris querelis, quibus arcte se teneri sentiebat, variis excusationibus elabi conabatur. at mulier, intelligens, omnes suos conatus in irritum cadere, atque occisam illam rem esse, oravit eum, ut saltem, redeunti sibi domum, dignaretur esse comes in via. quod ille primo negavit, sed ita commode elocuta est, ut non potuerit recusare, quominus comes cum ea iret usque ad Regis Hispaniarum oratoris ædes, quæ

erant in declivi illius collis, ubique ipsa armatos sex, occidendi ejus gratia, in insidiis collocaverat. verum quia adolescens semper erat in metu, fratres consobrinos duos, item armatos, sequi se jussit. at ubi ab eo loco propius absunt, ad quem usque adolescens se comitem mulieri futurum promiserat, cœpit illa quasi defessa esset ambulando, pedetentim ingredi, ac post alios ire. non fugit hoc unum ex consobrinis adolescentis; qui, suspicione offensus, minus grandes gradus facere, & suis eam vestigiis persequi instituit; cum ecce tibi sex illi, qui erant in insidiis, ex occulto (nam spissæ noctis tenebræ lucem plane suppresserant,) sclopos emittunt, & consobrinum alterum, qui lateri adolescentis hærebat, graviter feriunt. at ille, quamvis ad necem vulneratus, non sibi defuit, sed continuo suum quoque sclopum explosit, atque ex adversariis unum, ad terram abjecit. adolescens, cum se post puteum occultasset, domus cujusdam parieti adjunctum, armatorum illorum tela & incursus refregit. quod cum consobrinus alter, qui mulierem observabat, aspiceret, ira ac furore percitus, educto ferro, impetum in eam fecit, multisque vulneribus impositis, semivivam reliquit, confessarii ac vicinorum opem nequidquam implorantem; quorum nemo, ad ferendum auxilium, accurrit, quod sæpe ejusmodi turbæ in ea vicinia fierent, ad quam, Regis Hispaniarum legati honoris gratia, fere nunquam lictores accederent. ut ad pauca redeam, finis fuit ejusmodi, ut paulo post mulier, hoc est, post tres circiter horas, mortem obierit, atque una viri illi duo, quos vulneratos concidisse diximus; verum illam, cum totam noctem humi fusa jacuisset, primo mane cognati sepulturæ mandarunt; adolescentis vero parens, fortunis omnibus, nobilis illius viri insectationibus eversus, in summa rerum omnium egestate, biennio post ab omnibus desertus derelictusque decesserit; filius autem, propter quem ea turba evenerat, patria domoque pulsus, sine re, sine ingenio, sine bonis artibus, suas alteri operas locare, vel subinde regiones mutando, victum emendicare, fit coactus; denique, sorori defunctæ, ne ad conciliandas sibi nuptias, iis artibus, quæ germa-

næ sorori male provenerant, uterentur, factum sit, cognatorum opera, ut in quandam sacrarum Deo virginum domum conjicerentur.

CLXXI. *Puer, inde usque ab infantia male educatus, per summum scelus matrem innocentem occidit.*

NIhil plerunque tam à parentibus negligi videmus, quam primam illam puerorum educationem. etenim non modo non laborant, ut ea severa sit, atque ex optima ac sanctissima disciplina, verum etiam dant operam, ut ea perquam mollissima & perquam solutissima sit; atque huic tam fractæ enervatæque educationis generi, indulgentiæ nomen imponunt. quod nulla ratione, immo turpiter ac flagitiose, ab illis fieri constat. in ea enim vitæ filiorum parte elaboranda formandaque sunt negligentes, quæ est quasi solum ac fundamentum ceterarum. nam si ea altius in animis hærent, quæ prima homines didicerunt, quod, omnium aliarum rerum expertes, ea avidius arripiunt, ac tenacius retinent, nonne ea in illis sunt imprimenda, unde meliores, non autem deteriores in dies, evadant? quisnam existimabit, cum adoleverit, levi ac parabili cultu corporis se fore contentum, qui in cunis jacuerit, humi repserit in serico, in purpura, in auro? quis sperabit, modicis ac vulgaribus cibis famem depulsurum eum, cui simul ac palatum sapere cœpit, exquisitissimæ epulæ opiparaque obsonia edendi cupiditatem expleverint? quis credet, cupiditates suas cohibiturum esse eum, qui, quidquid inciderit in animum, velle consueverit? quis arbitrabitur, pudorem suum præstiturum esse eum, omni verborum obscœnitate vitanda, cujus impuras voces risu osculoque parentes exceperint? quis affirmabit, nemini nocituros esse eos, qui infantuli à parentibus., dum in complexu eorum essent, manus non abstinuerint? Vidi ego, puerulos parentibus in os unguibus involare, quod aliquid postulantibus ipsis ad nutum præsto non essent, illos vero inepte atque improbe pios, non modo non aude-

audere verberibus eorum audaciam infringere, ſed ne leviter quidem verbis reprehendere, ne eos flentes aſpicerent. fit ex iis conſuetudo, deinde natura, qua compulſi inventi ſunt non pauci, qui impias parentibus manus attulerunt. ex hoc numero fuit quidam Anconæ, annos natus non amplius ſedecim, ex veteri honeſtaque familia; cujus tutela, patre è vivis ſublato, ad matrem redierat; quam adoleſcens, natura ferox, & ab omni honeſtate relictus, ex parentum negligentia formandi cuſtodiendique in ætate prima pudoris atque modeſtiæ; nec verebatur nec metuebat, neque aliqua in re ejus dictis obſequens erat; accedebant ad animum, tum ætate tum ſua ſponte ad pejora omnia propenſum, amicorum propinquorumque quorumdam familiaritates, quibus illum expediebat eſſe quam teterrimum; eorum ille conſiliis obtemperabat, atque, ex eorum libidine, voluntates ſuas omnes moderabatur. quibus filii injuriis commota mater, & quia florenti adhuc erat ætate, oblatam ſibi, medico cuidam nubendi occaſionem, occupare ſtatuerat. quod cum cognatis ac filio moleſtum in primis accideret, quod intelligeret, ea affinitate rem ſibi familiarem minui; unde futurum eſſet, ut minus deinceps luxuriæ ipſius ſuppeditaretur; cumque adoleſcens, manu promptus, & ad quidlibet audendum projectus, ira & cupiditate, hac illac, raperetur; fuit perſuaſus à cognatis, ut ferrum intra materna viſcera conderet, ubi ipſe genitus, & humana natura, tanquam veſte, indutus fuerat, & apud quæ, novem menſibus, tanquam hoſpitio diverterat; denique, ut eo manus ſanguine contaminaret, unde procreatæ eſſent ac conditæ. quod homo, ſævo ac carnifici præditus animo, ſtatim arripuit. nec mora; cum mane quodam illa, ut mos eſt mulierum, cura cultus ſui anxia, ad ſpeculum acu comatoria crines ſibi diſponeret, ac pigmentis os fingeret pingeretque, rogata eſt ab eo, ut ſurgeret, ac mundum ſudariolum ſibi præberet; quod cum illa non neglexiſſet, contulit ſe ad arcam, ubi veſtem lineam habebat incluſam; in quam cum, ſudarii depromendi gratia, ſe inclinaſſet, ſtricto pugione à filio, qui primas partes ſuſceperat, petitur, tum cognatis adjuvantibus, qui ſubſidio

illi

illi venerant, pluribus vulneribus confossa, ab eo, cui vitam dederat, vita privatur, ac negligentiæ indulgentiæque, quam in eo nimis molliter educando adhibuerat, pœnas exolvit.

Huic perniciosæ parentum in liberos indulgentiæ, jure tribuendum est illud, quod de Sicula puella, ejusque amatore, scripsit ad me vir omnibus iis virtutibus, quæ in Episcopum conveniunt, cumulatissimus, Fabius Chisius, Episc. Neritonensis; quod totidem verbis, quibus ab eodem narratur, exponam; non enim dici postulat elegantius neque venustius. In insigni insulæ Siciliæ urbe, puella quædam nobilis juvenem exterum adamare cœpit, nihil tale cogitantem, qui studiorum causa illuc se contulerat; ac eo, vesaniæ ac libidinis impetu, adacta est, ut, die quodam, sumpta occasione, ore impudenti, renunciaverit id ipsum juveni, atque in noctem proximam invitaverit. accepta sponsione, juvenis, quamquam eodem die, secta sinistri brachii vena, sanguinem misisset, juxta à medicis præscriptam verni temporis purgationem, paruit. cum vero satur aut fessus libidine, obdormivisset, contigit, ut sponte aperta vena, effusoque sanguine, expiraverit. quod puella deprehendens postea, somno excitata, matrique renuncians, atque cum ea inito consilio ad crimen occultandum, suis humeris media nocte cadaver in templi limine collocavit. illuxit dies; varius rumor de nece juvenis illius, & civium concursus ad feretrum, quod de more locaverant in eodem templo. interim furere illa, nec, quamvis à matre monita, conquiescere, nec stare loco; immo circa vesperas illius diei petiit, liceret sibi inter spectatores accedere, ac mortuum aspicere; tum negare mater; illa vero vehementius persistete. abiit tandem, matre comitante, amore percita; cumque è conspectu fuit amati juvenis, educto cultro, quem veste tegebat, exclamans, Ego perdita, causa fui tuæ necis, dilecte mi, immissoque ferro pectori proprio, manubrio tenus, cecidit super ipsum, & suam ad orcum victimam prosecuta, insigni hac infamiæ nota gentem suam infecit. Hæc vir ille præstantissimus. unde licet intelligere, perniciosa hæc matrum in filias indulgentia quorsum evadat.

quam-

quamquam mater hæc, de qua diximus, progressa sit longius. non enim pauxillulum insane, sed totum insane, filiam amavit; quæ sustinuerit, peccati illius conscia esse. nam quid debuerat mater, cupida existimationis bonæ, tum suæ tum filiæ, nisi cum compertum habuisset de illius amore, ab ea illam insania retrahere, atque ab adolescentis illius non modo familiaritate, sed etiam congressione, materno jure ac potestate, prohibere, immo honesto cuipiam viro nuptui eam dando, omnes impurissimorum amorum causas illi præcidere? at contra tam leni ac victo in eam animo fuit, ut, ne sollicitam eam haberet, non modo furoris illius se comitem, sed ducem etiam præbuerit; neque illud in mente habuit, filiæ flagitium in Dei, quod caput est, offensionem, & in suum familiæque universæ dedecus infamiamque recidere. itaque fit verisimile, nunc illam apud inferos in æternis illis ignibus positam, una cum eo, quem eundem in interitum traxerat, vitiosum matris amorem, qui tantam sibi calamitatem suppliciumque conflaverat, omnibus precibus detestari, & quovis illam odio perniciosiorem asserere.

CLXXII. *Mulier, curæ cultus sui nimis dedita, gravi à Deo pœna punitur.*

QVamvis deliciæ cultusque omnis mulieres decere videatur, neque quisquam tanta eloquentia inventus sit usquam, qui potuerit illis ornatus sui curam adimere, tamen, si hæc illarum solicitudo studiumque intra aliquem modum se se contineat, jam ferri tolerarique posse censeatur; præsertim in nuptis, quarum unicum est votum, à suis viris amari ac diligi, à quibus verentur, ne, sine mundicia cultuque, insulsæ atque invenustæ habeantur; quamquam causæ, quamobrem amandæ, & in primis caræ essent habendæ, ingenii potius suavitas, morumque sanctitas deberet esse, quam formæ bonum, & cultus cujusvis amœnitas; nam formæ præstantiam, ornatusque nitorem, ingenium malum, ac mores incommodi, pejus cœno deturpant; contra, turpem

turpem veſtitum, mores pulcri, re ipſa, commendant. atque ſæpe fit, ut gravia à Deo atque ſevera in eas exempla edantur, quas major æquo, in ſe ipſis ornandis poliendiſque, labor & cura contorqueat. ut in quadam vidua, ex honeſta familia, Romæ nuper evenit. hanc formæ quovis modo augendæ tantus ardor, vel furor potius, inceſſerat, ut ſenas quotidie horas eidem excolendæ traderet, ac ſe lavandi, fricandi, tergendi, expoliendi, fingendi pingendique nullum finem modumque ſtatueret; cumque eſſet, ut diximus, vidua, nunquam domi (nam foris haud licebat) collum baccatis monilibus vacuum gerebat, verſicolori ſemper veſte induta, beneque aurata ingrediebatur; formoſorum, quorum circa ſe multos habebat, conſuetudine delectabatur; nullum ſermonis genus à ſe alienum exiſtimabat, ſive modeſtum, ſive molle, ſive facetum, ſive hilare, ſive procax. quamobrem ſermo erat omni populo, aperiebatque maledicis hominibus, quorum plena ſunt omnia, divulgandi locum, quod parum honeſte pudicitiam haberet. ſed non eſt paſſus Deus, exquiſitam illam atque inutilem, in tuenda augendaque forma, mulieris ſedulitatem, cum tanta divinæ ipſius majeſtatis contumelia atque hominum offenſione conjunctam, inultam abire; neque diem ſupplicio diſtulit; ſed repente indidem, ubi illa peccabat, graves ab ea pœnas ac juſtas expetiit. nam primum caput illi præter modum intumuit, cujus capillis, Coſmianis, ut veteres loquebantur, medicamentis, aureum fulgorem conabatur inducere, quoſque tanta diſponebat arte, ut partim, ſicut nunc mos eſt, ad genas fluère ſineret, partim eleganti nodo devinctos, vertici daret, ut inde inextricabiles incautis ſpectantium oculis laqueos intexeret; tum malæ, quas ceruſſa purpuriſſoque non infecerat ſed incruſtaverat, tam fœdum, tam atrum nigrorem contraxerant, ut horrorem iis qui aderant incuteret; oculi ita extabant prominebantque, ut pene è ſuis ſedibus diſcederent; linguam, foras ejectam, crebris ſibi morſibus dilacerabat; & in hoc oris habitu animam edidit; ſingulare mulieribus illis exemplum, quibus carior eſt forma corporis quam animi, pulcritudinis fama quam pudicitiæ.

CLXXIII. *Vir-*

CLXXIII. *Virgo, ad ſtuprum à vitrico expetita, ſatius ducit, vitam, quam pudicitiam, amittere.*

MVlierum virorumque una in unis ædibus commoratio, atque convictus, quantum periculi habeat, quantumque inutilis ſit ad pudicitiam caſtitatemque tuendam, multorum, tum noſtra tum vetere memoria, horribiles caſus prolapſioneſque declarant, quorum alii natarum, alii ſororum, fœdis funeſtiſque complexibus ſe ſe contaminarunt; quod etiam ſanctiſſimorum hominum, atque omnis doctrinæ elegantia principum auctoritate & exemplo confirmatur; qui ne, ex mulierum conſuetudine, quæpiam in animum cogitatio illaberetûr, quæ aliquam illis maculam aſpergeret, cognatarum etiam ſermones conventuſque vitabant. quamobrem ſapienter à matribus illis familias fit, quæ filias innuptas, quas habent, in interiore ædium parte continent, quò nemo accedat, neque germanus frater, neque alius, quavis propinqua cognatione conjunctus; alterum more Græcorum, à quibus interior illa pars ædium Gynæconitis appellabatur. verum hæc promiſcue cum viris mulierum habitandi conſuetudo quantam vim habeat ad flagitium vel facinus concipiendum perpetrandumque, paucis ante diebus, Romæ in tabellione quodam, homine impuriſſimo ſceleratiſſimoque, apparuit. hic viduam ſecum quandam matrimonio junxerat, cui filia erat nubilis, forma adeo eleganti, adeo venuſta, ut nihil ſupra. quæ pulcritudo cum omnibus fere horis vitrico veniret ad oculos, tantum illi conflavit incendium, ut vitam inſuavem redderet, niſi aliqua ejus potiundæ facultas obtingeret. itaque, hortante libidine, & occaſione operam dante, cœpit ille primum, ad expugnandam virginis pudicitiam, pugnis quibuſdam uti levioribus. quod cum mater, ab eadem docta, reſciſſet, hortata eam eſt, ut impuri illius conatibus, quanta maxime vi poſſet, obſiſteret, neve tantum in ſe flagitium ac facinus admitti pateretur. interea, quo ſuo viro, omnis,

virginis clam ipsam opprimendæ, occasio præriperetur, à suo eam latere nusquam longius abire sinebat. at ille, cum uxorem suis cupiditatibus obstare intelligeret, die quodam, amens libidine atque furore, obtorto illam collo, in proximum cubiculum est conatus abstrahere, ibique includere, ut custode remota, quod ipsi collibuisset, virgini faceret; sed recusantem illam venire, aliquot vulneribus affecit. quamobrem illa, male multata, Filia, inquit, te pudicitiamque tuam, ab istius prædonis vi impetuque, quavis potes ratione, defende. ad quam vocem illa exterrita, cum non alia fugæ ratio pateret, se se præcipitem de fenestra in viam ejecit; eoque casu statim est mortua. utrum recte an secus, non disputo; sed habeo, quam Lucretiæ, cujus castitas, omnium fere linguis ac literis, laudibus in cœlum effertur, non solum opponam, verum etiam anteponam. nam illa, post admissum in se dedecus, voluntaria morte se pudicitiamque suam existimationi hominum vindicare conata est; hæc, antea morti se tradidit, quam cujusquam experiri vim posset: illa ita mortem oppetiit, ut apertum aliquem suspicioni aditum reliquerit, quod antea stupro consensisset; hæc, cum integra se interemerit, aliqua vel minima prostitutæ pudicitiæ suspicione laborare non potuit.

CLXXIV. *Viro religioso, mulierum consuetudinem, atque adeo aspectum, esse vitandum.*

QVantum religiosis hominibus, iisque præsertim, qui perpetuæ castitati, obedientiæ, ac paupertatis cultui se voti religione obstrinxerint, expediat, intra cellæ suæ fines se continere, nec foris evagari; contra, quam sit eisdem perniciosum, multitudini se committere, sermonibus hominum dare, sæcularium, ac mulierum præsertim domos, officii amicitiæque gratia, frequentare, facile intelligent, qui complurium, tum ex vetere tum ex nostra memoria, fuerint horribiles miserosque casus recordati. est enim in cella pax, quies, tranquil-

quillitas, ocium ; foris vero ſeditiones, bella, inſidiæ, tumultus ; in cella mens à mortalibus rebus abducitur, & in cœlum erigitur, contra foris animus à cœleſtium rerum contemplatione avocatur, & ad hæc humilia & inferiora deprimitur, præterea ſi quiſpiam, humanæ conſuetudinis vitio, in ſe aliquem excitari motum libidinis ſentiat, fugiendo ſeque occaſioni ſubducendo, eum ſtatim, dum tempus & facultas ſuppetit, comprimere ac rationi ſubeſſe compellat ; ne, ſi patiatur vires accipere, in eum malorum gurgitem deferatur, unde emergere ac pedem referre, cum velit, nullis humanis viribus poſſit ; & in primis oculos à contemplandis mulierum formis avertat, neque iis credat, qui docent, ab iis ad Deum, tanquam, per gradus, aſcendi ; nam malo ſuo diſcet latum exinde aditum aperiri, unde præcipiti ad inferos lapſu devolvatur ; ut patet ex hoc exemplo. Quidam ex religioſa arctioris diſciplinæ familia, ingenio, quo multum præſtabat, aſſecutus eſt brevi, ut cœnobio cuidam præficeretur, ac magnum in Concionatoribus nomen haberet ; qua fama compulſi Cremonenſes, magnis eum præmiis invitarunt, ut, à Cineralibus ad uſque Paſchatos ſolemnia, Cremonæ conciones ad populum haberet. quo cum veniſſet, ita ſermonis elegantia, vocis ſuavitate, actionis venuſtate, ac doctrinæ copia, ad ſe animos auditorum attraxit. ut inter ſe omnes in eo diligendo colendoque certarent, ſed in iis, qui officiis eum omnibus proſequebantur, civis cujuſdam locupletis ac nobilis animo erat carus in primis ; huic erat filia unica, forma & vultu adeo eleganti, adeo venuſto, ut nihil ſupra, quæ cum ipſo habitaret, propterea quod virum non haberet. hanc ille cum ſæpius aſpiceret, colloqueretur, frequenter una in unis ædibus eſſet, ac non parum ſæpe cibum cum ea caperet, factum eſt, ut ad inſaniam adamaret, adeo ut cum amoris vim ferre non poſſet, hac ſibi ratione viam munire ad explendam ſuam libidinem inſtituit. deceſſerat, paulo ante, civis quidam Romanus, qui Cremonæ uxorem duxerat, eamque ita liberaliter honeſteque tractaverat, ut moriens magnam apud omnes civium Romanorum, probitatis famam relinqueret. cœpit igi-

tur virginis parenti persuadere, ut Romanum alium, re, genere, ac moribus, illi qui decesserat, similem, filiæ virum daret; quem se inventurum pollicebatur. parens, Romani illius mentione commotus, qui ob insignem probitatem, magnum omnibus desiderium sui reliquerat, concionatoris consiliis sibi obtemperandum duxit, atque, si inveniretur, inquit, ille quem diceret, nullam fore per ipsum moram, quin daret illi suam gnatam uxorem. Quadragesimæ igitur tempore, & Paschalibus feriis exactis, ita ab eo discedit, ut civem illum Romanum, quem idoneum filiæ ipsius sponsum fore putaret, quam primum se cum suis ad ipsum literis missurum, assereret. interim abiens, secretum secessit in locum, ibique eatenus latuit, neque mortalium cuiquam, quid ageret, aut ubi nam gentium esset, aperuit, quo ad capillus & barba promissior fieret, quo se posset hominum notitiæ surripere, ac probare pro eo, cujus personam gerendam simulandamque susceperat. sed jam capillus & barba productior, ita hominis faciem immutaverat, ut facile cuivis posset glaucomam ob oculos objicere, & assimulare, se eum esse, qui non esset. atque ardens libidine, literas à Concionatore commendaticias, ad parentem virginis datas, miro artificio factas, effinxit; in quibus significabatur, eum, qui attulisset, Romanum illum esse, qui ipsi gener, & filiæ sponsus futurus esset; proinde honorem illi haberet, & omnes humanitatis benevolentiæque significationes, quas parentes liberis solent, ostenderet; & cum his literis, Cremonam versus, iter arripuit; quo anteaquam pervenerit, paululum constitit in quodam oppidulo, Cremonæ propinquo, ubi ejus fratres commorabantur; à quibus, tanquam concionatoris amicus (etenim plures sibi cum illo dicebat necessitudinis causas intercedere) exceptus est humanissime liberalissimeque, atque aliquot apud eos dies, hospicio divortit. hoc interim spacio forte accidit, ut die quodam unus ex fratribus illac transiret, ubi novus iste Romanus, qui nunquam Romam aspexerat, molliter recubans, somno se dederat, atque ex positione corporis, suum sibi fratrem concionatorem est visus aspicere: verum quia id putabat non posse contingere, suis

oculis

oculis fidem non habuit, nec voluit id vidisse quod vidisset, rem tamen animo comprehensam retinuit. sed Romanus hic civis, optatus expectatusque Cremonam ingreditur; prodeunt illi obviam socer ac nova nupta, advenisse gaudent, exornant ample magnificeque convivium, lectum genialem sternunt, nuptiæ magna omnium cum voluptate lætitiaque fiunt, sponsi ac familiares dant operam epulis, ludis, choreis, omnique hilaritati: sed vix dies quindecim intercesserant ab eo die, quo mulier in viri manum convenerat, cum superioribus, quorum ille auctoritate concionandi munus acceperat, quia nondum ad cœnobium se recepisset, cœpit esse suspectus; ac veriti, ne uspiam se contineret ubi animo obsequeretur suo, literas primum dederunt ad fratres, quarum erat sententia, ut, si ille apud ipsos esset, quam primum missum facerent; satis jam indulsisse eum genio, jam nimis diu à cœtu suorum abesse. quibus lectis, continuo venit illis in mentem Romani illius, qui, Cremonæ ducturus uxorem, apud ipsos hospicio divorterat; auxit suspicionem frater ille, qui eum in dormiente corporis situm deprehendisset, in quo concionator cubitare solitus erat; & quo suis vestigiis vulpem prosequerentur ac comprehenderent, profecti sunt Cremonam ad uxorem, ab eaque, summa vi, in beneficio & gratia petierunt, ne gravaretur diligenter exquirere, num, in quadam corporis parte viri sui, signum quoddam, puta nævum, vel simile huic, hæreret; magnam enim gratiam se ab ipsis inituram, quod plurimum rationibus ipsorum expediret, hoc nosse. respondet mulier non inhumane, daturam se operam diligenter, ut fieret ipsis satis; atque ea, quæ proxime consecuta nox est, viri sui corpus perlustrat, atque in ea parte, illud, quod ipsi dixerant, signum deprehendit. sed mulier cata, quæ cum eo faceret mutuum, à quo se unice amari ac diligi intelligebat, quæque suspicaretur, nimiam illam hominum illorum curiositatem non alio, nisi ad illius perniciem, spectare, revertentibus illis, nullum se insignem in toto viri sui corpore notam offendisse, respondit. at illi, quibus erat deliberatum ac fixum, occultos sycophantæ illius dolos, ex illis latebris simula-

 tionis,

tionis, in apertum lucemque proferre, statuunt illius nomen quæsitoribus fidei deferre. fit reus, in carcerem conditur, quæstio habetur; at ea fuit hominis astutia, ea in respondendo cautio atque prudentia, ut nihil ex eo potuerint judices, unde merito condemnari posset, exsculpere; quin etiam, ob morum suavitatem, sermonis elegantiam, doctrinæ varietatem, ita Cardinalis Camporæ, qui tum eam cathedram Episcopus obtinebat, ad se animum attraxerat, ut totum hominem possideret, & ab ejus latere nunquam discederet, ac nihil propius sit factum, quam ut, adnitentibus uxore & socero, summa cum illius voluntate, ex reis eximeretur. sed raro insignia flagitia, scelere juncta, subsequentem pœnam effugiunt. nam res accidit, quæ hominis illius improbitatem, integumentis simulationis obductam, evolvit, atque in conspectum dedit. cum, die quodam, à prandio, Cardinalis variis cum eo sermonibus pomeridianas horas festive hilariterque traduceret, incidit mentio de causa; atque erat illi auctor Cardinalis, ut crimen, cujus insimulabatur, si forte admisisset, confiteretur; se enim fore illi auxilio, pollicebatur, daturumque operam, ne quid pro ejus magnitudine in ipsum gravius statueretur. sed cum nihil ageret, divini numinis instinctu (neque enim existimari aliter potest) venit illi in mentem, ab eo exquirere, ex qua nam curia, seu parœcia esset, dum erat Romæ. qui, S. Spiritus, respondit; cujus olim hospitalem domum Cardinalis, Præceptoris nomine, administraverat. quo responso totam suam causam ac defensionem evertit. nam, cum instaret Cardinalis quærere, quis nam esset, ejus Ædis situs, quæ forma; continuo illi, re inopinata & improvisa perculso, color immutatus est, vox hæsit; & cum conaretur dicere, aliena respondit, ac perspicuam suam improbitatem fecit. quamobrem Cardinalis seductum illum, primum humanissimis verbis, tum minis atque terroribus, coëgit crimen fateri, quamque induerat simulationem, exuere; reductoque in vincula, Romani hominis persona eripitur, & religiosi species & imago relinquitur; tum, magno cum puellæ dolore, quæ illum æque ac se ipsam diligebat, matrimonii illud vinculum

quo

quo contra jus faſque ſeſe implicaverat, abrumpitur; poſtremo, de omnibus ſacrorum ordinum gradibus dejecto, perpetuus carcer definitur, ubi in tenebris, quod reliquum erat vitæ, tranſigeret. verum Cardinalis, qui perpetuis eum tenebris vinculiſque mandaverat, memor amoris ac benevolentiæ, qua complexus eum fuerat, eatenus benignitatis in eum clementiæque progreſſus eſt, ut non ita multo poſt, ab eo carcere, in unum aliquod ſuæ familiæ cœnobium transferri mandaverit, atque eundem denique in veterem ſacerdotis concionatoriſque locum reſtituerit; qui poſtea totam hujus rei ſeriem Etruſcis complexus eſt verſibus, rhytmorum lege ſolutis, ſibique, è re nata, non teterrime cecidiſſe teſtatus eſt, Deoque immortales gratias egit, quod puteo illi, in quem præceps ſe ſe demerſerat, os non præcluſerit, ſed ſua ope auxilioque exeundi ex eo facultate donaverit.

CLXXV. *Innocentiam ubique, & in tribunalibus præſertim, tutam exiſtere.*

ATeſte locupletiſſimo graviſſimoque, qui rem vidiſſet, non autem ex auditu argueret, accepi, mulierculam quandam, nobilis ac ſumptuoſæ meritricis ancillam, ſtimulis conſcientiæ actam, Quæſitoribus fidei, dominæ nomen detuliſſe, quod veneficiis atque cantionibus dedita eſſet; itaque dominam in jus, ad cauſam dicendam, vocatam fuiſſe. illa, quæ ab amatoribus fortaſſe didiciſſet, in judiciis, eorum teſtium dictis fidem abrogari, quos ira, odium, vel cupiditas aliqua, ad teſtimonium dicendum compuliſſet, eos omnes, qui ſibi in hac cauſa poſſe obeſſe exiſtimaret, quos inter ancillam etiam numerabat, hoc uno genere circumſcribere ſtatuit, quod infenſo animo atque inimico veniſſe diceret; & ancillam in primis, quod fuiſſet in eam acerbior ac vehementior. ac fidei faciendæ gratia, tres primum nobiles viros adduxit, qui interrogati reſponderunt, ſe vidiſſe ancillam lacrimantem, ac brachia loris

infenſam affirmabat; deinde tres alios, inferioris ordinis ac loci, teſtes adhibuit, qui oculis eam ſuis, à domina verberari vidiſſent. itaque erat omnium conſultorum ſententia, ut decerneretur, ancillæ indicium falſum videri, ac dominam ex reorum numero eximendam eſſe. verum illa non inficiebatur, ſe cum primis illis teſtibus multis cum lacrimis queſtam eſſe dominæ ſævitiam, ac perpetuas cum ea ſibi inimicitias fore dixiſſe, ſed id dominæ voluntate à ſe factum affirmabat; quæ per hanc rationem cogitabat ab amatoribus ſuis, conciliandæ inter ipſam ac dominam gratiæ cauſa, pecunias, abradere; alios vero tres, qui teſtificabantur, ſe vidiſſe eam à domina verberari, palam & conſtanter mendacii arguebat. quamobrem judex quæſtionis, vir ſapiens ac doctus, cui præſagiret animus, vera mulierem loqui, conſilium judicabat, quamvis invitum, dimittendum, & cauſæ cognitionem in aliam diem differendam; nam fore, ut multa interea poſſent occurrere, quamobrem res, quæ eſſet obſcurior, illuſtraretur; nec ſua eum fefellit opinio. etenim aliquot poſt dies, ex illis tribus unum, mercatorem, regionis illius domino carum, longa ſtatura, bene veſtitum, in conſpectum mulierculæ humilis, ſordidæ ac pannoſæ adduxit, ut ex oculis, ore, vultu, colore conjiceret, utrius oratio propius ad veritatem accederet; ac teſtem interrogavit, num eam vidiſſet verberibus cædi; qui, vidiſſe, reſpondit. ac illa, primum proſiliens in genua, Tu ne, inquit, audes hoc dicere? qui, etiam, ait. tum irata, in pedes atque adeo in digitos erecta, prope ut illi in os unguibus involaret; magna vi animi & vocis, ſublatis in altum oculis, Deus cœli, inquit, tuque Deipara, obſecro vos obteſtorque, ut ſæviter in ejus, qui mentiri ſuſtineat, carnem animadvertatis. expalluit ille, ſed nihilo magis è ſententia deceſſit, neque imprecationibus mulieris, eventus, quem optaverat, defuit. nam paucis diebus poſt, ille teſtis apud alium judicem accuſatus eſt, quod uxorem intermiſſet, & adeo ſæva atque atrox habita quæſtio eſt, ut ab equuleo, ubi poſt multas horas crimen fateri coactus fuerat, inferioribus corporis partibus laceris, & brachii utriuſque oſſium commiſſuris ex ſua ſede diſtractis, relatus

relatus ſit in carcerem, ut de eo ſupplicium ſumeretur; cujus infamiam ut effugeret, magna vi terque quaterque caput in parietem impulit, illudque lethalibus vulneribus multis affecit. tum quæſitor per ſacerdotem, eam ad rem aptum, fecit eum admonitum, ut, ſi ſua ſibi ſalus æterna cordi eſſet, quæ in mulierem inſontem pro teſtimonio dixiſſet, revocaret, ac palinodiam caneret, antea quam affectus ſupplicio ex hac vita migraret. paruit ille, ac corpore lacero, ac vulneribus pleno, delatus feretro ante Quæſitorem, ac palam profeſſus eſt, ſua ac ſociorum teſtimonia mendacio niti, ſed ad ea dicenda, meritricis gratia fuiſſe compulſos, quo eam periculo litium liberarent. quibus actis, innocens abſolvitur meritrix, atque alii duo, ea qua digni erant pœna mulctantur.

CLXXVI. *Mulierum nuptarum formoſarumque contubernia eſſe vitanda.*

VIr quidam nobilis ex Æmilia Anconam venerat, ubi tecto exceptus eſt à cive item in primis nobili, cui erat uxor, ex vetere & illuſtri familia: verum quia vir ille nobilis ex Æmilia, cognationem ſibi quandam, ſuo cum hoſpite eſſe commemorabat, fiebat, ut ſine ulla ſuſpicione, tanquam cognatus, uxoris illius conſuetudine perquam familiariter uteretur; quæ nimis arcta multorum jam menſium conſuetudo uſuſque, non potuit effugere malevolorum ſermones. erat mulieri frater, cupidus exiſtimationis bonæ; hic à famula illius oneratus eſt ſuſpicionibus, perſuaſuſque, ut tantam ſibi ab hoſpite factam injuriam ulciſceretur; cui ille, quia non parvam rerum ſuarum fidem habebat, aures adhibuit, & ab eadem introductus in cubiculum, ubi ille penè nudus (erat enim æſtas) in quadam arca, altiori

ab eo, quem ad ſcelus illud impulerat, tanquam herilis peccati conſcia, latum atque amplum in facie vulnus accepit.

CLXXVII. *Fraudulentus decoctor graviter à Deo punitur.*

EA eſt hominum quorundam improbitas, avaritia, fraus & pecuniæ, quovis modo cogendæ, ardor ac ſtudium, ut, dum ipſi locupletes fiant, nihil penſi habeant, quemcumque, qui ſe ipſis dederit, fundis, familiis ac fortunis omnibus evertere. atque audaciores eos ad hanc rem facit peſſimus mos, qui introductus in Remp. eſt, ut, cum quis à pluribus, vel pecunias mutuo aut fœnori acceperit, vel cæca die, ut veteres dicebant, mercimonia emerint, quæ ſtatim, oculata die, aliis revenderent, præda onuſti ſe pro decoctoribus gerant, nec nummum ulli reſolvant. adjuvant improbitatem iſtorum, Principum virorum favor & gratia, à quibus literas auferunt, quibus cavetur, ne quiſquam eſſe illis incommodus ac moleſtus audeat. itaque eos videas, impune tota urbe volitare, & obvios creditores riſui ac ludibrio habere: verum cum ſatis jam defeſſi ſunt, miſere eos litibus & iniquiſſimis judiciis exercere, & quo etiam id, quod prædati ſunt, in tuto conſtituant, ſeque moleſtiis omnibus eximant, per amicos interpretes cum creditoribus agunt, ut cum ipſis decidant, & ſi quis, centum ab eis aureos petit, triginta, qui decem, unum accipiat, atque hac deciſione ſatis ipſis eſſe factum, in publicas tabulas referat, caveatque, amplius eo nomine neminem, cujus petitio ſit, petiturum; quod miſeri creditores, ſublatis in cælum manibus, in beneficio & gratia accipiunt; quo facto, improbi illi intra ſe rident, ſeque pulchre eſſe furatos exiſtimant. Ex hoc numero, proximis diebus, Florentinus quidam fuit, qui Neapoli negociabatur, ibique etiam uxorem duxerat, ac plures ex ea liberos ſuſceperat, atque ingenio callido atque verſuto, & oratione ſubdola aſſecutus erat, ut nemo ipſi metueret credere, immo certatim omnes, quidquid mercimonii apud ipſos eſſet, credita pecunia,

trade-

tradebant; quæ ille ſtatim Romam fratri, improbitate, avaritia, fraude, ipſi gemino ac ſimillimo, mittebat, ut præſenti pecunia diſtraheret, quam pecuniam ita celatam atque conſtructam haberet, ut nemo poſſet perſentiſcere, ubi ea eſſet abſcondita. quod cum multis jam annis feciſſet, magno ære alieno ſe ſe devinxit, ac, ſaturatus præda, ſtatuit creditoribus manum adire, nec quidquam illis enumerare, ſi poſſet. itaque ex improviſo Romam advolat; mittit, qui ſermones ſpargant in vulgum, ſuas ſibi merces decoxiſſe ac decollaſſe, neque numinum unum eſſe relictum, quem poſſet creditoribus ſolvere. quo audito illi exanimati, veniunt Romam, quo eum confugiſſe compererant; in quibus multæ erant mulieres pauperculæ, quibus opera vita erat, & quidquid domi venale habuerant, illi crediderant. at cum ille, partim ſe occultaret, partim à potentioribus per amicitiam & gratiam impetraſſet, ut nemo ſibi moleſtus eſſet, perfecit, ut eos, Romam veniſſe, & inanem illam operam ſumpſiſſe pœniteret. itaque, litium moleſtiis defatigati, ac deſperatis ſuis rebus, domum, inaniores quam venerant, ſunt reverſi. ſed quia doloſus ille decoctor Neapoli uxorem, quam ob elegantiam formæ unice diligebat, ac liberos reliquerat, quos Romam cuperet adducere, ut una ſecum bonis undique ereptis uterentur fruerenturque, ſoceri opera perfecit, ut cum creditoribus, ſumma illorum cum voluntate, decidere liceret. atque inter ipſos convenit, ut minimum quid caperent ex eo, quod ſibi debebatur. ſed ſtatim, Deo vindice, ſenſit, quid periculi ſit, ſocios in negocio circumvenire. nam cum navigio uxorem ac liberos Romam veheret, ac recuſaret, ob zelotypiam ſuam, præter litus navigare, milites metuens, contra triremes Etruſcas ibi diſpoſitos, ne uxorem ab ipſo per vim abducerent, altum petiit, ubi cum in piratas incidiſſet, una cum

INDEX EXEMPLORVM
IANI NICII ERYTHRÆI.

38 *Duæ*

FINIS.